

ergo perfectio ultimum accidit rei, ut aliorum causa existat. Cum ergo per multa res creata in divinam similitudinem tendat, hoc ultimum ei restat, ut divinam similitudinem querat per hoc quod sit aliorum causa. » — Hoc ille. — Et in principio capituli 22 sic dicit : « Ex premissis autem manifestum esse potest quod ultimum per quod res unaquaque ordinatur ad finem, est ejus operatio. » — Hoc ille. — Ex quibus patet quod, cum anima unita vel conjuncta corpori sit magis in actu quam separata, et plurimum effectuum causa, tam in genere causae formalis quam efficientis, quod ipsa conjuncta perfectior est secundum naturam suam quam separata; ad quod facit, quia perfectius attingit finem suum proximum et naturalem, scilicet constitutere naturam quamdam specificam integrum, scilicet humanitatem et personam humanam. De hoc beatus Thomas, *de Anima*, q. 1, in solutione septimi, sic dicit : « Anima unitur corpori propter bonum substantiale, quod est substantialis perfectio, ut scilicet compleatur species humana; et propter bonum quod est perfectio accidentalis, ut scilicet perficiatur in cognitione intellectiva, quam anima acquirit ex sensibus (z). » — Hoc ille. — Item, in solutione duodecimi, sic dicit : « Anima habet aliquam dependentiam ad corpus, in quantum sine corpore non pertingit ad complementum speciei. Nec tamen sic dependet a corpore, quin (6) sine corpore possit esse. » — Item, in solutione decimisexti, sic dicit : « Principia essentialia alicuius speciei ordinantur non tantum ad esse, sed ad esse speciei. Licit ergo anima possit esse per se, non tamen potest esse in complementum sui speciei sine corpore. » — Hoc ille.

Cum autem dicit arguens, quod, secundum opinionem sancti Thomae, nullum novum esse acquiritur post hoc quod anima communica suum esse toti composite, etc.; — dicitur quod, licet non acquiratur aliud esse substantiale existentiae, acquiritur tamen nova natura specifica, novum suppositum et persona, large loquendo de novitate, ut accipiatur pro inceptione vel reparacione. Ex quibus patet quod argumenta non procedunt.

Ad quartam improbationem, negatur antecedens. Et ad ejus probationem, patuit, 2. *Sentent.* (dist. 15, q. 1), quid dicendum sit.

II. Ad argumenta Aureoli. — Ad argumenta Aureoli ultimo inducta, patet responsio ex prædictis : quippe omnia illa probant secundam conclusionem nostram. Licet Durandus ad omnia talia probabiliter responderet, tamen feneo cum sancto Thoma, in *Quodlibeto*, unde sumpfas sint conclusiones. Qualitercumque enim sensit in *Scriptis*,

vel visus fuerit sensisse in *Tertia Parte*, determinatio *Quodlibeti* videtur mihi rationabilior : quia ibi solum tractavit istam materiam a proposito et informam; in aliis vero locis incidenter solum; et cum propositione, et respondendo magis ad hominem quam ad rem.

Ad argumentum contra questionem (x) patet responsio per predicta.

Et hoc de questione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

QUÆSTIO II.

UTRUM RESURRECTIO OMNICM MORTUORVM ERIT IN EODEM INSTANTI

STERUM, circa quadragesimam tertiam distinctionem, queritur : Utrum resurrectione omnium mortuorum erit in eodem instanti.

Et arguitur quod non. Quia nullus resurget in instanti: ergo, etc. Consequentia patet. Antecedens probatur : quia nullus motus localis potest esse in instanti, nec subito, ut habetur in *de Sensu et sentiato* (cap. 7); sed ad resurrectionem exigitur aliquis motus localis in collectione cinerum: ergo non fit in instanti, nec subito.

In oppositum arguitur. Quia, 1. *Corinth.* 45 (v. 51 et 52), dicitur : *Omnies quidem resurgentur in momento, in iuste oculi.* Ergo resurrectio omnium erit subito.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, recitabuntur objections. In tertio, ponentur solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, si

Prima conclusio : Quod resurrectione mortuorum non solum fide tenetur, immo naturali ratione probabilitate convincitur.

Hanc ponit sanctus Thomas, 4. *Contra Gentiles*, cap. 79, ubi sic dicit : « Ad ostendendum resurrectionem carnis futuram evidens ratio suffragatur,

(x) *sensibus*. — *sensibilitas* Pr.
(6) *quoniam*. — *quando* Pr.

(x) *questionem*. — *conclusionem* Pr.

suppositis his que in superioribus ostensa sunt. Ostensum est enim in secundo (*Cont. Gent.*, lib. 2, cap. 79) animas hominum esse immortales. Remanent ergo post corpora a corporibus absolute. Manifestum est etiam ex his que in secundo dicta sunt (*ibid.*, cap. 83), quod anima corpori naturaliter unitur; est enim secundum essentiali suam formam corporis. Est ergo contra naturam animae absque corpore esse. Nihil autem quod est contra naturam, potest esse perpetuum. Non ergo perpetuo anima erit absque corpore. Cum ergo perpetuo maneatur, oportet eam corpori iterato conjungi; quod est resurgere. Immortalitas ergo animalium exigere videtur resurrectiōnē corporum esse futuram. — Adhuc: Ostensum est supra, in tertio (*Cont. Gent.*, lib. 3, cap. 24), naturale hominis desiderium ad felicitatem tendere. Felicitas autem ultima est felicis perfectio. Cuicunque ergo deest aliquid ad perfectionem, nondum habet felicitatem perfectam, quia nondum ejus desiderium totaliter quietatur: omne enim imperfectum perfectionem consequi naturaliter concupiscit. Anima autem a corpore separata, est aliquo modo imperfecta, sicut omnis pars extra totum suum existens: anima enim naturaliter est pars humanae naturae. Non ergo potest homo ultimam felicitatem consequi, nisi anima iterato corpori conjugatur, praeferim cum ostensum sit in hac vita hominem ad ultimam felicitatem non posse pervenire. — Iterum: Sicut in tertio (*ibid.*, cap. 440) ostensum est, ex divina providentia peccantibus poena debetur, et bene agentibus premium. In hac autem vita homines, ex anima et corpore constituti, peccant vel recte agunt. Debetur ergo hominibus, et secundum animam, et secundum corpus, premium vel poena. Manifestum est autem quod in hac vita premium ultime felicitatis consequi non possunt, ex his quae in tertio (*ibid.*, cap. 26 et seq.) ostensa sunt. Multoties etiam peccata in hac vita non puniuntur; quinimmo, ut videtur, Job. 21 (v. 7), hie *impii vivunt, confirmati sunt sublimatique dicitis*. Necessarium est ergo ponere iteratam conjunctionem, ut homo in corpore et in anima premiari et puniri possit. » — Haec ille.

Quod autem anima humana sit incorruptibilis et immortalis, ut supponitur in praedictis, ostendit sanctus Thomas in multis locis, ut in 1 p., q. 75, art. 6, ubi sic dicit: « Necesse est dicere animam humanam, quam dicimus intellectivum principium, esse incorruptibilem. Dupliciter enim aliquid corruptitur: uno modo, per se; alio modo, per accidens. Impossibile est autem aliquid subsistens generari aut corrupti per accidens, id est, aliquo generato vel corrupto. Sic enim alieni competit generari et corrupti, sicut et esse, quod per generationem acquiritur, et per corruptionem amittitur. Unde quod per se habet esse, non potest corrupti vel generari nisi per se; quae vero non sub-

sistunt, ut accidentia et formae materiales, dicuntur fieri et corrupti per generationem et corruptionem compositerum. Ostensum est autem (z) supra (ead. quest., art. 2 et 3), quod animae brutorum non sunt subsistentes, sed sola anima humana. Unde animae brutorum corrupti sunt, corruptis corporibus; anima autem humana non posset corrupti, nisi per se corrupteretur. Quod quidem omnino est impossibile non solum de ipsa, sed de quolibet subsistente quod est forma tantum. Manifestum est enim quod illud quod secundum se convenit alicui, inseparabile est ab eo. Esse autem per se convenit forme, quae est actus. Unde materia secundum hoc acquirit esse in actu; quod acquirit formam; secundum hoc autem accidit in ea corruptio, quod separatur ab ea forma. Impossibile est autem quod forma separetur a seipsa. Unde impossibile est quod forma subsistens desinet esse. — Dato etiam quod anima esset ex materia et forma composita, ut quidam dicunt, adhuc oporteret ponere eam incorruptibilem. Non enim invenitur corruptio nisi ubi invenitur contrarieitas: generationes enim et corruptiones ex contrariis et in contraria sunt; unde corpora celestia, quia non habent materiam contrarietati subjectam, incorruptibilia sunt. In anima autem intellectiva non potest esse aliqua contrarieitas. Recipit enim secundum modum sui esse; ea vero quae in ipsa recipiuntur, sunt absque contrarieitate; quia etiam rationes contrariorum in ipso intellectu non sunt contrarie, sed est una scientia contrariorum. Impossibile est ergo quod anima intellectiva sit corruptibilis. — Potest etiam hujus rei accipi signum ex hoc quod unumquodque naturaliter suo modo esse desiderat. Desiderium autem in rebus cognoscibilibus sequitur cognitionem. Sensus autem non cognoscit esse, nisi sub hie et nunc; sed intellectus apprehendit esse absolute, et secundum omne tempus. Unde omnes habens intellectum desiderat naturaliter esse semper. Naturale autem desiderium non potest esse inane. Omnis ergo intelligibilis substantia est incorruptibilis. » — Haec ille.

Similes et plures rationes ponit, 2. *Contra Gentiles*, cap. 79, dicens: « Manifeste ostendi potest animam humanam non corrupti, corrupto corpore. Ostensum est enim supra (cap. 55) omnem substantiam intellectualis esse incorruptibilem. Anima autem est quedam substantia intellectualis, ut ostensum est (cap. 65). Oportet ergo animam humanam incorruptibilem esse. — Adhuc: Nulla res corruptitur ex eo in quo consistit sua perfectio; haec enim mutationes sunt contraria, scilicet ad corruptionem et ad perfectionem. Perfectio autem animae humanae consistit in abstractione quadam a corpore: perficitur enim anima scientia et virtute;

(z) autem. — cum Pr.

secundum scientiam autem, tanto magis perficitur, quanto immaterialia considerat; virtutis autem perfectio consistit in hoc quod homo passiones corporis non sequatur (α), sed eas secundum rationem temperet et refrenet. Non ergo corruptio animae consistit in hoc quod a corpore separatur. Si autem dicatur quod perfectio animae consistit in separatione ejus a corpore secundum operationem, corruptio autem in separatione ejus secundum esse, — non convenienter obviatur. Operatio enim rei demonstrat substantiam et esse ipsum; quia unumquodque operatur secundum quod est ens, et propria operatio rei sequitur ejus naturam. Non potest ergo perfici operatio alicujus rei, nisi secundum quod perficitur ipsius substantia. Si ergo operatio animae perficitur in relinquendo corpus et corporea, substantia sua in esse suo non deficit per hoc quod a corpore separatur. — Item: Proprium perfectivum hominis secundum animam est aliquid incorruptibile: propria enim (β) operatio hominis, inquantum hujusmodi, est intelligere (per hanc enim differt a brutis et a plantis et inanimatis); intelligere autem universalium est et incorruptibile, inquantum hujusmodi. Perfectiones autem (γ) oportet esse perfectibilis proportionatas. Ergo anima humana est incorruptibilis. — Amplius: Impossibile est appetitum naturale esse frustra. Sed homo naturaliter appetit perpetuo manere. Quod patet ex hoc quod esse est quod ab omnibus appetitur; homo autem per intellectum apprehendit esse, non solum ut bruta animalia, sed simpliciter. Consequitur ergo homo perpetuitatem secundum animam, qua esse simpliciter et secundum omne tempus apprehendit. — Item: Unumquodque quod recipitur in aliquo, recipitur in eo secundum modum ejus in quo est. Formae autem rerum accipiuntur in intellectu possibili prout sunt intelligibiles actu. Sunt autem intelligibiles actu (δ) prout sunt immateriales et universales, et per consequens incorruptibiles. Ergo intellectus possibilis est incorruptibilis. Sed, sicut probatum est supra (cap. 59, 61 et 62), intellectus possibilis est aliquid animae humanae. Est ergo anima humana incorruptibilis. — Adhuc: *Esse intelligibile est permanentius quam esse sensibile.* Sed id quod se habet in rebus sensibilibus per modum primi recipientis, est incorruptibile, scilicet materia prima. Multo ergo fortius intellectus possibilis, qui est receptivus formarum intelligibilium. Ergo anima humana, cuius intellectus possibilis est pars, est incorruptibilis. — Amplius: Faciens est honorabilius facta, ut etiam Aristoteles (*de Anima*, t. c. 49) dicit. Sed intellectum agens facit actu intelligibilia,

ut ex premissis patet. Cum ergo intelligibilia actu, inquantum hujusmodi, sint incorruptibilia, multo fortius intellectus agens erit incorruptibilis. Ergo et anima humana, cuius est lumen intellectus agens, ut ex premissis patet. — Item: Nulla forma corruptitur nisi vel actione contrarii, vel per corruptionem sui subjecti, vel per defectum sue cause: per actionem quidem contrarii, sicut calor destruitur per actionem frigidi; per corruptionem autem sui subjecti, sicut, destructo oculo, destruitur vis visiva; per defectum autem cause, sicut lumen aeris deficit, deficiente solis presentia, quia erat ipsius causa. Sed anima humana non potest corrupti per actionem contrarii: non est enim aliquid anima contrarium, cum per intellectum possibilis ipsa sit cognoscitiva et receptiva omnium contrariorum. Similiter autem neque per corruptionem sui subjecti: ostensum est enim supra (cap. 68), quod anima humana est forma non dependens a corpore secundum suum esse. Similiter autem neque per deficientiam sue cause: quia non potest habere aliquam causam nisi aeternam. Nullo modo ergo anima humana potest corrupti. » — Haec ille, cum multis aliis.

Item, cap. 55, probat tredecim rationibus quod omnis substantia intellectualis est incorruptibilis. Et easdem rationes in virtute ponit in questionibus *de Anima*, q. 44.

Secunda conclusio est quod, Hec resurrectio sola divina virtute perficiatur, tamen angeli cooperabuntur ad aliquid praecambulum resurrectionis.

Priman partem hujus conclusionis ponit sanctus Thomas, *4. Sentent.* (α), dist. 43, q. 4, art. 1, in solutione tertie questione, ubi sic dicit: « Motus, sive actio aliqua, tripliciter se habet ad naturam. Est enim aliquid motus, sive actio, cuius natura nec est principium nec terminus; et talis motus quandoque est a principio supra naturam, ut patet de glorificatione corporis: quandoque autem a principio alio quocunque, sicut patet de motu violento lapidis sursum, qui terminatur ad quietem violentiam. Est etiam aliquid motus, cuius principium et terminus est natura, ut patet in motu lapidis deorsum. Est etiam aliquid motus, cuius terminus est natura, sed non principium; sed quandoque aliquid supra naturam, sicut patet in illuminatione cœci, quia visus naturalis est, sed illuminationis principium est supra naturam; quandoque autem aliquid aliud, ut patet de acceleratione florum vel fructuum per artificium facta. Quod autem principium sit natura, et non terminus, esse non potest: quia principia naturalia sunt ad effectus determinata.

(α) *4. Sentent.*, — Om. Pr.

(α) sequatur. — sequitur Pr.

(β) enim. — autem Pr.

(γ) autem. — animi Pr.

(δ) a verbo *Sunt usque ad actu*, om. Pr.

tos diffinita, ultra quos se extendere non possunt. Operatio ergo vel motus primo modo se habens ad naturam, nullo modo potest dici naturalis; sed est vel miraculosa, si sit a principio supra naturam; vel violenta, si sit ab alio quocumque principio. Operatio autem vel motus secundo modo se habens ad naturam, est simpliciter naturalis. Sed operatio que tertio modo se habet ad naturam, non potest dici simpliciter naturalis, sed secundum quid, inquantum scilicet perducit ad illud quod est secundum naturam; sed vel dicitur miraculosa, vel artificialis, aut violenta. Naturale enim proprie dicitur quod secundum naturam est; secundum autem naturam dicitur esse habens naturam et quae consequuntur naturam, ut patet, 2. *Physicorum* (t. c. 4 et 5); unde motus, simpliciter loquendo, non potest dici naturalis, nisi ejus principium sit natura. Resurrectionis autem principium natura esse non potest, quamvis ad vitam naturae resurreccio terminetur. Natura enim est principium motus in eo in quo est vel activum, ut patet in motu gravium et levium, et in alterationibus naturalibus animalium; vel passivum, ut patet in generatione simplicium corporum. Passivum autem principium naturalis generationis est potentia passiva naturalis, que semper habet aliquam potentiam activam sibi correspondentem in natura, ut dicitur, 9. *Metaphysica* (t. c. 2 et 13). Nec quantum ad hoc differt, sive respondeat passivo activum principium in natura respectu ultime perfectionis, scilicet formae; sive respectu dispositionis quae est necessitas ad formam ultimam, sicut est in generatione hominis, secundum positionem fidei, vel etiam de omnibus aliis, secundum opinionem Platonis et Avicennae. Nullum autem activum principium resurrectionis est in natura, neque respectu conjunctionis animae ad corpus, neque respectu dispositionis quae est necessitas ad talis conjunctionem; quia talis dispositio non potest a natura induci nisi determinato modo, per viam generationis ex semine. Unde, etsi ponatur esse aliqua potentia passiva ex parte corporis, seu etiam inclinatio quocumque animae ad conjunctionem, non est talis quod sufficiat ad rationem motus naturalis. Unde resurreccio, simpliciter loquendo, est miraculosa, et non naturalis, nisi secundum quid. » — Haec ille.

Ex quibus potest argui pro prima parte conclusionis: Quia nullum principium activum creatum potest animam separatam corpori conjungere.

Secundam vero partem conclusionis ponit idem ibidem, art. 2, in solutione tertiae questio[n]ulae, ubi sic dicit (2): « Augustinus dicit, 3. *de Trinitate* (cap. 4), quod sicut corpora crassiora et inferiora per subtiliora et potentiora quodammodo ordinare reguntur, ita omnia corpora a Deo reguntur per

spiritum vitae rationalem. Et hoc etiam Gr̄gorius, 4. *Dialogorum*, tangit. Unde in omnibus quae corporaliter a Deo sunt, utitur Deus ministerio angelorum. In resurrectione autem est aliquid ad transmutationem corporum pertinens, scilicet collectio cinerum, et eorum preparatio ad reparationem humani corporis. Unde, quantum ad hoc, utetur Deus ministerio angelorum. Sed anima, sicut a Deo immediate creata est, ita immediate a Deo corpori unetur iterato sine aliqua operatione angelorum. Similiter etiam gloriam corporis ipse faciet sine ministerio angelorum, sicut et animam immediate glorificat. Et istud ministerium angelorum vox dicitur (2), secundum unam expositionem quae tangitur in littera. » — Haec ille.

Item, arguendo (ibid., arg. Sed contra), recitat illud 1. *Thessalon.* 4 (v. 15), ubi dicitur quod « Dominus in voce archangeli descendet de caelo, et mortui resurgent. Ergo resurreccio mortuorum ministerio angelorum complebitur. »

Ex quibus patet ratio pro secunda parte conclusionis: Quia, in omni corporali transmutatione divinitus facta, Deus utitur angelico ministerio. Sed resurreccio mortuorum est hujusmodi. Igitur, etc.

Tertia conclusio est quod in resurrectione erit aliquid quod fiet in instanti, et aliiquid quod fiet in tempore.

Hanc ponit ibidem (4. *Sentent.*, dist. 43, q. 4), art. 3, in solutione tertiae questio[n]ulae, ubi sic dicit: « In resurrectione aliquid fiet in ministerio angelorum, et aliquid virtute divina immediate, ut dictum est. Illud ergo quod ministerio angelorum fiet, non erit in instanti, si instans dicat indivisible temporis; erit tamen in instanti, si instans accipiat pro tempore imperceptibili. Illud autem quod fiet virtute divina immediate, fiet subito, scilicet in termino temporis quo angelorum opus complebitur: quia virtus superior inferiorem ad perfectionem adducit. » — Haec ille.

Item, arguendo pro ista conclusione, sic dicit (ibid., arg. Sed contra): « Virtus infinita subito operatur. Sed, sicut dicit Damascenus (*de Fid. Ort.*, lib. 4, cap. 27), *crede resurrectionem futuram divina virtute*; de qua constat quod infinita est. Ergo resurreccio fiet subito. » — Haec ille.

Ex quibus potest argui pro ultraque parte conclusionis insimul sic: Omnis motus fit in tempore, simplex vero mutatio in instanti. Sed, in resurrectione, angelii operabuntur per motum localem, Deus vero per simplicem mutationem vel productionem. Ergo opus angelorum erit in tempore, operatio vero divina erit in instanti.

(2) sicut. — Ad. Pr.

(2) dicitur. — Dei Pr.

Quarta conclusio est quod omnes homines resurgent simul et in eodem instanti.

Istam conclusionem ponit Apostolus, *1. Corinth.* 15 (v. 52), dicens: *In momento, in ictu oculi*, etc. Per que verba communiter doctores concludunt quod omnium resurrectio erit in eodem instanti.

Eamdem conclusionem ponit virtualiter sanctus Thomas, *4. Sentent.*, dist. 43, q. 1, art. 3, q^u 3. Nam, ut recitatum est statim, ibidem dicit quod « illud quod sicut virtute divina in tali generali resurrectione, sicut in instanti ».

Item, ibidem, in solutione primi, sic dicit: « Ezechiel (z) loquebatur populo rudi, sicut et Moyses. Unde, sicut Moyses distinxit (ε) opera sex dierum per dies, ut ruditus populus capere posset, quamvis omnia simul sint facta, secundum Augustinum (*de Genes. ad litt.*, lib. 4, c. 34, et lib. 5, c. 23), illa Ezechiellis diversa, que in resurrectione futura sunt, expressit distincte, quamvis omnia simul sint futura in instanti. »

Item, ibidem, arguit sic (arg. 3): « Omnis sonus tempore mensuratur. Sed sonus tubae causa erit resurrectionis. Ergo resurrectio sicut in tempore, et non subito. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod idem videtur esse de sono illo et de formis sacramentorum, scilicet quod in ultimo instanti prolationis effectum suum habebit. » — Haec ille.

Item, in solutione primi quartae quaestione, sic dicit: « Quando resurrectio erit, non erit tempus, sed terminus temporis; quia in eodem instanti in quo cessabit motus, erit resurrectio mortuorum, etc. » — Haec ille.

Ex quibus potest argui pro conclusione sic: Omnia resurrectio erit in ultimo instanti sonitus tubae angelicae, et in ultimo instanti motus coll. Sed illud non erit nisi unum, et non multa. Ergo omnium resurrectio erit in eodem instanti.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

RECITANTUR OBJECTIONES

§ 1. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

Argumenta Scotti. — Quantum ad secundum articulum, arguendum est contra conclusiones. Et quidem contra primam arguit Scotus (dist. 43, q. 2)

(a) Verba Ezechiellis quae D. Thomas interpretatur, sunt sequentia: *Et accesserunt ossa ad ossa... Et vidi, et ecce super ea nervi et carnes aspergaverunt; et extenta est in eis cutis desper, et spiritum non habebant.* (cap. 37, v. 7 at 8.)

(b) a verbo *Unde usque ad distinxit*, om. Pr.

dupliciter. Primo, contra fundamentum conclusionis, scilicet quod rationes probantes immortalitatem anime non sunt efficaces. Secundo, quod, concessio illo fundamento, rationes probantes resurrectionem non convincunt. Contra primum arguit sic.

Primo (z). Quia prima ratio nostra, quae fundatur in hac propositione, quod naturale desiderium non est frustra, etc., — illa, inquit, probatio non valet. Quia aut arguitur de naturali desiderio propriu dicto; et illud non est aliquis actus elicitus, sed solum inclinatio naturae ad aliquid; et tunc plenum est quod non potest probari desiderium naturale ad aliquid, nisi primo probetur possibilitas in natura ad illud; et, per consequens, ex converso arguendo est petitio principii. Aut arguitur de desiderio naturali minus proprio dicto, quod scilicet est aliquis actus elicitus, sed concorditer inclinationi naturali; et tunc certum est quod non potest probari quod aliquod desiderium elicatum sit naturale illo modo, nisi prius probetur quod ad illud idem sit naturale desiderium primo modo. Et si arguas: Illud naturaliter desideratur, quod apprehensum (δ) statim actu elicito desideratur (γ), quia ista pronitas non videtur esse nisi ex inclinatione naturali, — hoc uno modo negaretur, primo: quia vitiosus statim inclinarat ad desiderandum secundum suum habitum illud quod ei offertur; sed quia natura non statim ex se est vitiosa, nec in omnibus, et quilibet statim appetit illud apprehensum, sequitur quod illud desiderium non est vitiosum. Ergo ista responsio non est generalis. Ideo potest dici quod oportet ostendere illam apprehensionem esse secundum rectam rationem, et non erroneam; alioquin, si ad apprehensionem erroneam statim omnes appetant actu elicito, non sequitur illud esse consonum inclinationi naturali naturae, immo magis oppositum. Non est autem manifestum per rationem naturalem, quod ratio ostendens hominem semper esse, tamquam appetibile, sit recta et non erronea; quia prius oportet ostendere quod istud posset competere homini. Breviter ergo: omne medium ex desiderio naturali videtur esse inefficax; quia ad efficaciam ejus oportet ostendere vel potentiam naturalem esse in natura ad illud, vel quod apprehensio ad quam statim sequitur desiderium illud, si est actus elicitus, sit apprehensio certa et non erronea; et horum primum est idem cum conclusione, quae concluditur ex desiderio naturali; secundum autem est difficultius vel minus notum conclusione ista. Et si dicatur quod desiderium naturale hominis ad immortalitatem probatur ex hoc quod naturaliter fugit mortem, non valet: quia aequaliter concluderet de bruto.

(z) Primo. — Om. Pr.

(δ) apprehensum. — apprehenso Pr.

(γ) desideratur. — desideratur Pr.

Secundo principaliter arguit ad idem, quod illa ratio quae adducitur ad idem ostendendum ex immaterialitate ipsius animae, que infert animam non habere potentiam ad non esse, non valet. Quia, licet materia sit illud quo res potest esse et non esse, non tamen est sic intelligendum, quod materia est qua res, cuius ipsa est pars, potest esse et non esse; sed sic, quod materia est qua res, cuius ipsa est pars, vel quo recipitur in ipsa, potest esse et non esse; alioquin forma ignis non posset non esse, quia materia non est pars formae ignis.

Tertio arguit quod illa ratio quae sumitur ex identitate esse ipsius animae in corpore et extra corpus, non valeat. Quia, si intelligitur animam per se habere esse idem in toto et extra totum, prout per se esse distinguitur contra inesse accidentis, hoc modo forma ignis, si esset sine materia, haberet per se esse; et tunc posset concludi quod forma ignis esset incorruptibilis. Si autem intelligitur de esse per se quod competit composito vel supposito in genere substantiae, falsum est quod anima sine corpore habeat per se esse: quia tunc esse ejus non esset communicabile alteri; quia, in divinis (z), etiam per se esse isto modo receptum est incommunicabile. Tamen, quolibet (z) modo intelligatur, ratio deficit, *Anima habet per se esse sine corpore, ergo non indiget corpore*: quia, in secundo intellectu, antecedens est falsum; in primo, consequentia non valet, nisi addatur ibi (z) quod naturaliter, sive (z) sine miraculo, habet per se esse primo modo. Sed haec propositio est credita, et non per naturalem rationem ostensa.

Quarto (z) principaliter arguit. Quia illa ratio quae fundatur in hoc quod anima non est separabilis a seipso, etc., non concludit. Quia non omnis corruptio est per separationem alicuius ab alio. Accipiendo enim esse angeli, si illud ponatur aliud ab essentia, non est separabile ab ipso; est tamen destructibile (z) per successionem oppositi ad ipsum esse. — Haec ille.

Secundo loco arguit quod rationes probantes animam non posse perpetuo remanere extra corpus sint inefficaces.

Primo quidem: Quia prima ratio, que fundatur in hac propositione, *Nulla pars extra totum est perfecta*, etc., non procedit. Quia illa maxima non est vera nisi de parte quae recipit aliquam perfectionem in toto. Animam rationalis autem non recipit, sed communicat. Unde ratio potest formari ad oppositum: Quia non repugnat alicui aequo perfecto in se manere, licet alteri non communicet suam per-

(a) in divinis. — in individualiis Pr.

(b) qualibet. — quo licet Pr.

(c) nisi addatur ibi. — quia nisi addas in Pr.

(d) sive. — Om. Pr.

(e) quia. — Ad. Pr.

(f) destructibile. — distinctibile Pr.

fectionem. Hoe autem apparet ex causa efficiente; cui non repugnat quantumcumque manere sine suo effectu. Sed anima manet aequo perfecta in esse suo proprio, sive conjuncta, sive separata, tantum in hoc habens differentiam, quod separata non communicat suum esse alteri.

Secundo. Quia secunda ratio fundata super hoc quod separatio animae a corpore est violenta, etc., non procedit. Quia dicetur quod duplex est inclinatio naturalis: una ad actum primum, et imperfecti ad perfectum, et concomitatur potentiam essentialiem; alia ad actum secundum, et concomitatur potentiam accidentalem. De prima verum est quod oppositum ejus est violentum, et non perpetuum: quia ponit imperfectionem perpetuam, quam Philosophus habuit pro inconvenienti; quia ponit in universo causas aliquando ablativas cujuscumque imperfectionis. Sed secunda inclinatio, etsi perpetuo suspendatur, nullum, violentum proprium dicitur; quia nec imperfectio. Nunc autem (z) inclinatio animae ad corpus est tantum secundo modo. — Vel diceretur, secundum Avicennam, quod appetitus animae satiatus est per hoc quod perfectit corpus: quia illa conjunctio est ad hoc ut anima, mediante corpore, acquirat suam perfectionem per sensus, quam non posset acquirere sine sensibus (z), et per consequens nec sine corpore; semel attem conjuncta, acquisivit quantum ipsa (z) simpliciter appetit acquirere illo modo.

Tertio principaliter. Quia tertia ratio fundata super iustitia Dei retribuentis non valet. Quia non apparet per rationem naturalem quod sit unus rector hominum secundum leges iustitiae retributivae et punitivae. Et, esto quod sic, diceretur quod unicuique in bono actu suo fit retributio sufficienter, sicut dicit Augustinus (*l. Confess.*, cap. 12): *Jussisti Domine, et ita est, ut sit sibi pama omnis peccator*; ita quod ipsum peccatum est prima poena peccati. — Haec Scetus.

§ 2. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

I. Argumenta Aureoli. — Contra secundam conclusionem arguit Aureolus, probando primo (z) quod opinio nostra habet ponere quod anima beata potest virtute propria se unire corpori organico et disposito, et ita quod resurrectio non solum fiat divina virtute quoad unionem animae et corporis. Quapropter, inquit, quid intelligis per talenm unionem, quam tu ponis esse relationem inter animam et corpus? Aut intelligis intimam praesentialitatem animae ad corpus; aut, ultra istam intimam praesentialitatem,

(x) Nunc autem. — natura aut Pe.

(y) a verbis *per sensus usque ad sensibus*, om. Pr.

(z) ipsa. — ipsum Pr.

(b) primo. — Om. Pr.

dicit aliquod agere fluens ab anima in corpus. Modo anima potest in istos ditos respectus, in ordine ad corpus perfecte dispositum; quoniam (x) potest se facere intime praesentem corpori perfecte disposito; et potest propria virtute corpus perfecte dispositum animare. Ergo, etc. De praesentialitate enim probo assumptum; quoniam sicut anima post resurrectionem existens in celo, potest se et corpus proprium facere intime praesens alieni corpori in terra; sic separata corpori disposito. Confirmatur; quia sicut angelus potest propria virtute se transmutare de una praesimalitate ad aliam qua caret, et de non praesente facere praesentem se alieni; ita videtur quod anima separata possit fagere se praesentem intime suo corpori. Secundum similiter probo, scilicet de animare; quia omne agens respectu illius quod dicitur ab eo profluere, habet potentiam modo animare et vivificare dicitur profluere ab anima; ergo, etc.

Secundo loco arguit quod unio anime cum materia non importet conjunctionem, seu copulationem, que sit habitudo mere positiva; sed magis aliquid privativum, scilicet indivisionem. Non enim anima et corpus sunt proprie copulata vel unita in aliquo medio, sed per se sunt unum indivisum in actu. Et hoc probatur duplice ratione. *Prima* est: Quia non est major unitas diuinae partium ligni ejusdem continui sub quantitate, quam sit compositi ex materia et forma. Sed unitas parvum ligni sub quantitate non est unitas que sit copulatio, aut quaedam habitudo positiva; sed est unitas omnimoda indivisionis, eo quod pars est omnino indivisa in actu ab alia parte, alias non esset unitas continuationis. *Seconda ratio* est: Quia, secundum quod omnes dicunt, tres sunt substantiae, scilicet materia, et forma, et compositum ex his, quod non est res superaddita, sed resultans ex dictibus. Tunc sie: Compositum non est altera partium; necamque iunctae sunt, quia non conjunguntur proprie, sed individuntur (6) ab invicem in actu, et hoc modo dicendum est quod sunt una res indivisa in quoddam tertium resultans. Prolatitur ergo quod sit dare talem tertiam rem, et per consequens quod materia et forma sunt idem in actu, et per consequens indivisa in illa re: quia entitas compositi est una res: res autem et unum convertuntur, et unum et indistinctum sunt idem. Quero: quid est subjectum illius indivisionis et indistinctionis? Aut illud est materia et forma, sic quod quodlibet eorum secundum suam entitatem sit divisum (7) ab alio; aut illud est res tertia, quae sit addita; aut illud est utrumque, scilicet materia et forma, ut sunt indivisa. Non primo modo: quia indiviso non potest

fundari in rebus divisis. Nec secundo modo: quia tunc compositum esset res tertia composita, et esset divisa ab aliis. Oportet ergo dare tertium: scilicet quod illam indivisionem fundat utrumque, scilicet materia et forma; et hoc modo resultativa constituent unum indivisum. *Confirmatur* per dictum Philosophi (*1. Physicorum*, l. c. 20) approbatum dictum Lycopironis, qui dicit quod non debet concedi ista, *Homo est albus*, sed, *Homo albet*, quia in prima propositione notatur divisio inter subjectum et predicatum, quod non notatur in secunda; et Aristoteles (8) quidem dicit, quod subjectum et forma sunt duo in potentia, sed non in actu. — Hec Amelius (dist. 43, q. 1, art. 6).

II. Argumenta Henrici. — Contra eandem conclusionem tendunt in virtute argumenta Henrici, *Quodlibeto* 14, q. 14, ubi querit: Utrum anima separata non impedita possit remiri virtute propria corpori disposito. Dicit enim sic: Anima, cum sit forma que non educitur de potentia materie, sed creatur, et per naturam vel essentiam sit praesens suo perfectibili, ut proprium activum cum proprio passivo, actionem que est esse, anima ex seipso agit naturaliter in proprium corpus, cum est ei approximata; sicut calidum approximatim calefactibili perficit ipsum in esse calidum. Proprium enim activum approximatum suo passo, impossibile est non agere propriam actionem. Et ideo anima unita corpori communicat ei vires suas, ut forma materie. Et ideo, cum unita fuerit corpori suo disposito, ut se habeat ad ipsum sicut naturalis perfectio, agit in ipsum perfectionem que est esse: ita tamen quod, licet anima non impedita, voluntate transferat se in corpus suum, et ei intinetur, per hoc tamen non unitur ei (sic enim (6) tam anima quam angelus potest se transferre in lapidem); sed si intineta corpori suo disposito, ut naturale activum proprio passivo, naturaliter, non voluntarie, nisi voluntate concomitante, unitur corpori et dat ei esse substantiale; sicut si sub speciebus sacramenti, virtute divina, reiteretur substantia panis, ille species illi substantie darent esse accidentale, sicut prius; et sicut grave non impediret facit se deorsum, et unit se ei ut terminetur appetitus ejus. Sed hoc aliter est in gravi, aliter in anima: quia grave per pondus gravitatis, anima per pondus amoris voluntarii fertur ad suum corpus, et ei intinetur: tamen per pondus amoris naturalis unitur ei, et quiescit naturalis appetitus. Et sic propria virtute potest se transferre ad suum corpus, non impedita. — Hec ille.

(x) Cfr. *Commentarii*, 7. *Metaphysicorum*, commun. 31, ubi dicit: « Si illud quod generaliter subjectum formae, esset aliud a generante formam, tunc subjectum et sua forma essent duo in actu; quod est impossibile. »

(6) omni. — nam Pr.

(7) divisione. — tum quia Pr.

(8) individuantur. — dividuntur Pe.

(9) divisione. — indivisum Pr.

§ 3. — CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

Argumentum Durandi. — Contra tertiam conclusionem arguit Durandus (dist. 43, q. 4), probando quod resurrectio mortuorum, quantum ad organizationem corporum, non sit in instanti.

Primo. Quia impossibile est motum localem fieri in instanti. Sed, si organizatio corporum in resurrectione subito fieret, motus localis fieret in instanti. Ergo ista organizatio non fiet subito. Major supponitur. Sed minor probatur. Quia pulveres ex quibus formabitur corpus, vel erunt majoris quantitatis, aut minoris quam corpus formandum, aut aequalis. Si majoris quantitatis, et corpus formetur ex eis subito, sequitur quod aliquid de loco pulverum remanebit vacuum, aut ad illum movebitur alia pars aeris circumstantis in instanti; vacuum autem non potest esse; ergo iste motus erit in instanti. Si autem sint minoris quantitatis quam corpus formandum, idem sequitur: quia corpus formatum subito occupabit majorem locum; sed hoc non poterit esse nisi subito cedat ei aliqua pars aeris circumstantis; cessio autem illa non poterit fieri subito, nisi quia pars illa aeris, que dicitur cedere, subito movetur de loco; et sic idem quod prius. Si autem aequalis, idem sequitur: quia organizatum aliter figurabitur quam pulveres ex quibus formabitur; sed in figuraione nova necesse est esse novum ordinem et novam positionem partium subjecti secundum dextrum et sinistrum, ante et retro; si ergo corpus formabitur subito, nova positio partium fiet (α) subito; sed talis non potest fieri nisi cum locali cessione corporis circumstantis; ergo motus localis esset in instanti.

Forte dicetur ad hanc rationem, quod motus localis potest divina virtute fieri in instanti, licet hoc non possit fieri virtute nature. Illa autem cessione, qua localiter cedet pars aeris corpori resurgenti, fiet virtute divina: nam sicut corpus motum ab aliquo expellit aliud de loco suo, et cogit ipsum moveri, et tamen corpus expulsum proprie non moveatur a corpore expellente, sed a motore ejus; ita, in proposito, Deus formans corpus majus quam sint pulveres ex quibus formabitur, formando tale corpus, expellet partes aeris circumstantis de locis suis in instanti. — Sed ista responsio non videtur valere. Quia quod dicitur, quod motus localis virtute divina potest fieri in instanti, non est verum. Quia simile est de alteratione per quam forma educitur de esse imperfecto ad esse perfectum per medios gradus, et de motu locali per quem mobile, quacumque virtute moveatur, pertransit de extremo in extrellum per medium. Sed talis alteratio non potest fieri in instanti, sed necessario sit in tempore. Ergo et omnis motus localis. Major patet. Quia magis videatur quod talis alteratio possit fieri in instanti, quam

(α) fiet. — ficeret Pr.

aliquis motus localis. Videmus enim in genere alterationum, quod aliqua potest fieri in instanti, etiam per naturam, ut illuminatio aeris; sed nullum motum localem videmus fieri in instanti; ergo, quantum est ex genere eorum, magis repugnat motui locali fieri in instanti, quam alteracioni. In speciali autem ponitur similis causa utrobique; quia ponitur quod non sit processus ab extremo in extremum nisi per medium; quare (α) si non est possibile talem alterationem esse in instanti, impossibile est aliquem motum localem fieri in instanti. Minor probatur. Quia sequeretur quod subjectum alteracionis simul esset magis perfectum et minus perfectum secundum eamdem formam vel speciem; quia in eodem instanti esset sub forma secundum gradum medium et secundum gradum perfectum. Illud autem est impossibile: quia tunc idem posset simul esse magis et minus calidum, et magis et minus album; quod est impossibile; quia *magis* et *minus* habent oppositionem et incompossibilitatem, cum possint esse termini motus seu mutationis. — Item, si motus localis posset fieri in instanti, sequeretur quod mobile simul esset in medio et in termino: si enim prius esset in medio quam in termino, jam non esset motus in instanti, sed in tempore; quia prius et posterius duratione necessario requirunt tempus. Sed idem corpus esse simul in diversis locis localiter, est impossibile quacumque virtute. Ergo impossibile est quod mobile simul sit in medio et in termino; et, per consequens, quod motus localis fiat in instanti.

Secundo principalius arguit contra conclusionem, probando quod animatio et organizatio non fiant in eodem instanti. Quia animatio est quedam mutatio. Sed termini mutationis, qui sunt habitus et privatio, secundum *Philosophum*, 2. et 5. *Physicorum*, non potest esse simul tempore in eodem subjecto. Ergo animationem praecessit tempore, in corpore organizato quod subjectum animae, privatio actualis exsistentiae ipsius animae; et sic animatio corporis et ejus organizatio non erunt (β) simul.

Forte dicetur ad hanc rationem, quod illa animatio non erit mutatio; quia omnis inductio forme in passum, quam non praecessit ipsum passum tempore, non est mutatio; sed est passio de genere passionis. Quod non sit mutatio, patet (γ): quia omnis mutatio est inter terminos oppositos, qui non compatiuntur se invicem in eodem subjecto pro eodem instanti; ergo ubi est vera mutatio, oportet terminum a quo praewistere in subjecto ante introducendum termini ad quem, et per consequens oportet subjectum praewistere termino ad quem (δ); si

(α) quare. — quia Pr.

(β) erunt. — fuerint Pr.

(γ) patet. — videlicet Pr.

(δ) a verbis et per consequens usque ad quem, om. Pr.

ergo subjectum præexistit, non erit mutatio. Erit tamen passio, quia omnis receptio passio quedam est. — Sed ista responsio non valet. Licet enim possit esse aliqua passio, seu receptio, que non sit vera mutatio; tamen animatio que erit in resurrectione, erit vera mutatio; quia subjectum se habebit aliter tunc quam prius. Materia enim in (z) qua recipetur anima, fuit prius immediate sub forma pulverum. Non enī, ut isti imaginantur, procedet formatio corporis naturaliter animationem; immo animatio præcedet naturaliter formationem. Si enim formatio corporis præcederet animationem, præcederet eam ut dispositio materiae in fieri solum, vel ut dispositio materiae in esse. Non potest dici quod præcedat in fieri solum (6); quia illa non maneat cum forma; sed talis formatio, ut isti dicunt, in eodem instanti est cum anima; ergo simul esset et non esset. Item, Deus in agendo non indiget dispositione in (y) fieri; quia potest quilibet formam introducere in materiam immediate post quemcumque aliam; non enim est limitatus ad agendum per determinata media, sicut agentia naturalia. Cum ergo animatio fiat virtute divina, patet quod non requirit aliquam dispositionem in fieri præcedentem. Nec potest dici quod formatio corporis sit dispositio in esse, et quod præcedat animationem; quia omnis dispositio in esse sequitur formam substantialiem, que immediate perficit materiam, et prius ordine naturae quam quocunque alia perfectio.

§ 4. — CONTRA QUARTAM CONCLUSIONEM

Argumenta Durandi. — Contra quartam conclusionem arguit Durandus (dist. 33, q. 4). Dicit enim quod non omnes resurgent in eodem instanti; sed prius resurgent illi qui fuerunt mortui, quam illi qui in adventu Christi invenientur vivi, et nihil minus morientur ut resurgent. Et dicit quod hoc reportet pomere, maxime propter auctoritatem Scripturae. Dicit enim Apostolus, 1. Thessalon. 4 (v. 15 et 16), quod *mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi; deinde nos, qui relinquimus, simul rapiemur cum illis in nubibus obviabim Christo in aera.* Ex quo patet quod quando mortui jam resuscitati obviahunc Christo in aera, tunc simul rapientur illi qui vivi invenientur. Sed illi in ipso rapti morientur, et deinde resuscitabuntur. Ergo posterior resuscitabuntur quam primi; *quia* cum primis resuscitatis adhuc vixerunt vita mortalium. Hoc etiam cogunt verba auctoritatis. Dicunt enim quod illi qui prius mortui sunt, resurgent primi. Hoc autem non potest intelligi de primitate dignitatis apud Deum; quia multi qui in adventu Christi invenien-

tur (z) vivi, erunt (6) majoris meriti et majoris dignitatis apud Deum quam aliqui eorum qui prius (y) fuerunt mortui. Nec videtur intelligi de prioritate naturae; quia inter individua ejusdem speciei non est ordo naturae. Oportet ergo quod intelligatur de prioritate temporis, quod, jam aliis resuscitatis, illi qui in adventu Christi vivi reperientur, cum illis rapientur adhuc viventes vita mortalium, ac deinde morientur, et postea resuscitabuntur. — Hec ille.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

ARTICULUS III.

PONUUNTUR SOLUTIONES

S. I. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Scoti. — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem

Ad primum eorum quae Scotus primo loco arguit contra primam conclusionem, dicitur primo, quod naturale desiderium proprium dictum, in cognoscendis per sensum aut intellectum, est actus elicitus, et non sola inclinatio naturae ad aliquid; sicut ostendit sanctus Thomas, 1. p. c. q. 82, art. 1 et 2, ubi ostendit quod voluntas aliquid appetit naturaliter et ex necessitate. Idem ponit, q. 60, art. 1, dicens: « Semper prius salvatur in posteriori. Natura autem est prior quam intellectus; quia natura cuiuscumque rei est ejus essentia. Unde id quod est natura, est oportet salvari etiam in habentibus intellectum. Est autem hoc communum omni nature, ut habeat aliquam inclinationem, quae est appetitus naturalis vel amor. Quae tamen inclinatio diversimode invenitur in diversis naturis, in unaquaque secundum modum ejus. Unde in natura intellectuali invenitur natura sensitiva, secundum appetitum sensitivum; in natura vero carente cognitione, secundum solum ordinem naturae in aliquid. » — Hec ille. — Ex quibus concludit quod in angelis est aliqua dilectio naturalis, que non est solus ordo naturalis in aliquid, immo actus elicitus. — Simile ponit, 1. 2^e, q. 10, art. 1, ubi concludit quod voluntas movetur ad aliquid naturaliter, et quod talis motus naturalis voluntatis est principium omnium aliarum voluntionum et est motum voluntatis. Nec tamen oportet quod talis naturalis voluntatis motus semper iusit voluntatis, sed tantum dum est in aliqua dispositione determinata.

(z) a verbis sunt, resurgent usque ad invenientur, om.

Pr.

(6) erunt, erant Pr.

(y) prius, postea Pr.

(z) in. — Om. Pr.

(6) a verbis vel ut usque ad solum, om. Pr.

(y) dispositione in. — dispositionem Pr.

nata, ut patet in solutione secundi argumenti. Item, *de Vacuitate*, q. 22, art. 5; et 1. *Sentent.*, dist. 49, q. 1, art. 3; et multis aliis locis.

Dicitur secundum, quod per rationem naturalem sufficienter probatur quod in natura animas rationales, vel intellectus humani, est potentia naturalis ad perpetuitatem et semper esse, ut patet ex dictis Philosophi, 3. *de Anima*. Sanctus Thomas etiam, 2. *Gentilites*, cap. 55, ostendit multipliciter rationes naturali, quod substantiae intellectuales sunt incorruptibles, et quod non habent potentiam ad non esse. Arguit enim sic, secundo loco: « Quod per se alicui competit, de necessitate et semper et hoc inseparabiliter eadem inest; sicut rotundum per se quidem non est circulus, per accidens autem acrius; unde ex quidem fieri non rotundum est possibile, circulus autem non esse rotundum est impossibile. Esse autem per se consequitur ad formam; per se enim dicimus quod est secundum ipsum; immo^{que} autem habet esse secundum formam. Substantie igitur ipsae quae non sunt formae, possunt privari esse secundum quod amittunt formam; sicut in privatur rotunditate, secundum quod desinit esse circulare (6). Substantie vero quae sunt ipse formae, nunquam possunt privari esse; sicut, si aliqua substantia esset ipse circulus, nunquam posset fieri non rotunda. Ostensum est autem supra (cap. 50), quod substantiae intellectuales sunt ipsae formae subsistentes. Impossibile est ergo quod esse desinat. Ergo sunt incorruptibles. » Item, tertio loco, arguit sic: « In corrupto, regnolo actu, manet potentia; non enim corruptitur aliquid in omnino non ente, sicut nec generaliter ex omnino non ente. In substantiis autem intellectualibus, ut ostensum est (cap. 53), actus est ipsum esse; ipsa autem substantia est sicut potentia. Si ergo substantia intellectus corruptatur, remanebit post suam corruptionem; quod est omnino impossibile. Omnis ergo substantia intellectus est incorruptibilis. » Item, quarto loco, arguit sic: « In omni quod corruptitur, oportet quod sit potentia ad non esse. Si quid ergo est in quo non est potentia ad non esse, hoc non potest esse corruptibile. In substantia autem intellectuali non est potentia ad non esse. Manifestum est enim ex dictis (cap. 54), quod substantia completa est proprium susceptivum ipsius esse. Proprium autem susceptivum alienus actus ita comparatur ut potentia ad actum illum, quod nullo modo est in potentia ad oppositum; sicut ignis ita comparatur ad calorem ut potentia ad actum, quod nullo modo est in potentia ad frigiditatem. Unde nec in ipsis substantiis corruptibilibus est potentia ad non esse, in ipsa substantia completa, nisi ratione materie. In substantiis autem intellectuali-

(5) *et*. — *Obi. Pr.*

(6) *privatur esse circulare*. — *Ad. Pe.*

bis non est materia; sed sunt substantiae completae simplices. Ergo in eis non est potentia ad non esse. Sunt ergo incorruptibles. » Item, quinto loco, arguit sic: « In quibuscumque est compositio potentiae et actus, id (z) quod tenet locum primae potentiae, seu subjecti primi, est incorruptibile; unde etiam in substantiis corporalibus materia prima est incorruptibilis. Sed, in substantiis intellectualibus, id quod tenet locum primae potentiae et subjecti, est ipsa communis substantia completa. Ergo substantia ipsa est incorruptibilis. Nihil autem est corruptibile nisi per hoc quod sua substantia corruptitur. Ergo omnes naturae intellectuales sunt incorruptibles. » Item, septimo loco, arguit sic: « Corruptio mutatio quadam est, quam oportet esse terminum motus, ut probatum est in *Physicis* (lib. 5, t. c. 7). Unde oportet quod omne quod corruptitur, moveatur. Ostensum est autem in naturalibus (6. *Physic.*, t. c. 32) quod omne quod moveatur, est corpus. Oportet ergo omne quod corruptitur, esse corpus, si per se corruptatur; vel esse aliquam formam seu virtutem corporis a corpore dependentem, si corruptatur per accidens. Substantiae autem intellectuales non sunt corpora, neque virtutes seu formae a corpore dependentes. Ergo neque per se neque per accidens corruptuntur. Sunt ergo omnino incorruptibles. » Item, decimotercio et ultimo loco, arguit sic: « Quemque incipit esse et desinat, per seipsum potentiam habent utrumque; eadem enim est potentia ad esse et ad non esse. Sed substantiae intellectuales non potuerunt incipere esse nisi per potentiam primi agentis; non enim sunt ex materia qua presuerit. Ergo nec est aliqua potentia ad non esse ipsarum nisi in primo agente, secundum quod potest non influere eis esse. Sed ex hac sola potentia nihil potest dici corruptibile. Tum quia res dicuntur necessarie et contingentes secundum potentiam que in eis est, et non secundum potentiam Dei. Tum etiam quia Deus, qui est instigator nature, non subtrahit rebus id quod est proprium naturae earum; ostensum est autem quod proprium est naturae intellectualibus quod sint perpetua; quod hoc eis a Deo non subtrahetur. Sunt ergo substantiae intellectuales ex omni parte incorruptibles. » Hoc ille, cum multis aliis rationibus ad idem propositum facientibus.

Dicitur tertio, quod apprehensio qua anima rationalis apprehendit incorruptibilitatem vel immortalitatem esse sibi possibilem et appetibilem, ratione naturali convincitur esse recta et non erronea. Quod patet, tum ex Philosopho, 3. *de Anima*, tum ex rationibus precedentibus, tum ex aliquibus sequentibus. Sanctus Thomas enim, ubi supra (2. *Gent.*, *Gent.*, c. 55), arguit sic: « Sicut sensibile est objectum sensus, ita intelligibile est objectum intellec-

(z) *id*. — *Obi. Pr.*

ctus. Sensus autem propria corruptione non corrum-
pitur nisi propter excellentiam sui objecti, sicut
visus a valde fulgidis, et auditus a fortibus sonis, et
sic de aliis. Dico autem *propria corruptione*: quia
sensus etiam corrumpitur per accidens, propter
corruptionem subjecti. Qui tamen modus corru-
ptionis non potest accidere in intellectu, cum non
sit actus corporis alicujus, quasi a corpore depen-
dens, ut supra ostensum est (cap. 49). Patet autem
quod nec corruptor per excellentiam sui objecti :
quia qui (α) intelligit valde intelligibile, non minus,
immo magis intelligit minus intelligibilia. Ergo
intellectus nullo modo est corruptibilis. — Amplius :
Intelligibile est propria perfectio intellectus: unde
intellectus in actu, et intellectum in actu, sunt
unum. Quod ergo convenit intelligibili, in quantum
est intelligibile, oportet convenire intellectui; inquan-
tum hujusmodi; quia perfectio et perfectibile sunt
uniuersalis. Intelligibile autem, in quantum hujus-
modi, est necessarium et incorruptibile: necessaria
enim perfecte sunt intellectu intelligibilia; con-
tingentia vero, in quantum hujusmodi, deficiente
solum, nec habetur de eis scientia, sed opinio; unde
et corruptibilium scientiam habet, secundum quod
sunt incorruptibilia, in quantum scilicet sunt uni-
versalia. Oportet ergo intellectum esse incorruptibili-
lem. — Adhuc : Unumquodque perficitur secun-
dum modum sui substantiae. Ex modo ergo perfe-
ctionis alicujus rei potest accipi modus substantiae
ipsius. Intellectus autem non perficitur per motum (β), sed per hoc quod est extra motum (γ) exsi-
stens: perficitur enim secundum intellectum anima
scientia et prudentia, sedatis permutationibus cor-
poris et anime passionibus (δ), ut patet per Philosophum, 7. Physicorum (l. c. 20). Modus ergo sub-
stantiae intelligentis est quod esse suum sit supra
motum (ϵ) et per consequens supra tempus. Esse
autem cuiuslibet rei corporalis subjacet temporis et
motui. Impossibile est ergo substantiam intelligibili-
lem esse corruptibilem. — Praeterea (ζ): Impossi-
bile est naturale desiderium esse inane: natura
enim nihil facit frustra. Sed quodlibet intelligens
naturaliter desiderat esse perpetuum, non solum ut
perpetueretur in esse secundum speciem, sed secun-
dum individuum. Quod sic patet. Naturalis enim
appetitus quibusdam inest ex apprehensione; sicut
lupus naturaliter desiderat occisionem animalium
de quibus pascitur, et homo naturaliter desiderat
felicitatem. Quibusdam vero absque apprehensione,
ex sola inclinatione naturalium principiorum; qui

naturalis (α) appetitus in quibusdam dicitur; sicut
grave appetit esse dorsum. Utroque autem modo est
in rebus naturale desiderium essendi. Cujus signum
est: quia et ea que cognitione carent, resistunt cor-
ruptionibus secundum virtutem suorum natura-
lium principiorum; et ea que cognitionem habent,
resistunt eisdem secundum modum sua cognitionis.
Illa ergo cognitione carentia, quorum principiis
inest virtus ad conservandum esse perpetuum, ita
quod (β) remaneant semper eadem secundum numerum (γ), appetunt naturaliter esse perpetuum,
etiam secundum (δ) idem numero; quorum vero
principia non habent ad hoc virtutem, sed solum ad
conservandum esse perpetuum secundum (ϵ) idem
specie, etiam sic naturaliter appetunt perpetuitatem.
Hanc ergo differentiam oportet in his inveniri qui-
bus desiderium essendi inest cum cognitione: ut
scilicet illa que non cognoscunt esse nisi ut nunc,
desiderent esse ut nunc, non autem semper, quia
esse sempiternum non appetunt; desiderant tamen
esse speciei perpetuum absque cognitione, quia vir-
tus generativa, que ad hoc deservit, preambula
est; et non subjacet cognitioni; illa autem (ζ) que
esse perpetuum cognoscunt et apprehendunt, desi-
derant ipsum naturali desiderio. Hoc autem conve-
nit omnibus substantiis intellectualibus. Omnes
ergo substantiae intelligentes naturali desiderio appe-
tunt esse perpetuum. Ergo impossibile est quod esse
deficiant. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod
arguens multa falsa assumit. Primum est, quod nul-
lum desiderium naturale, nec appetitus naturalis
proprius dicitur, sit actus elictus; sed omnis talis sit
sola inclinatio vel ordo naturae ad aliquid. Hujus
enim falsitas manifeste patet in brutis, quorum
appetitus sunt naturales, et nullo modo liberi, de
quibus constat quod sunt actus secundi, et actus
elicti. Secundum est, quod nulla ratione naturali
convincatur immortalitatem, vel perpetuitatem, esse
homini naturaliter desideratam, vel possibilem
naturaliter.

Dicitur quarto, quod sanctus Thomas non intendit
concludere immortalitatem anime ex naturali desi-
derio perpetuitatis quasi demonstrative, sed solum
probabiliter; vel, si demonstrative, non tamen demon-
stratione propter quid et a priori, sed demonstra-
tione quia et a posteriori, et quasi per signum
quoddam. Quod patet: nam, in questionibus *de Anima*, q. 14, ubi tractat hanc materiam, cum
probasset istam conclusionem per alia media, subdit:
« Relinquitur igitur (η) animam humanam esse

(α) *qui*. — Om. Pr.
(β) *motum*. — *modum* Pr.
(γ) *motum*. — *modum* Pr.
(δ) *passionibus*. — *passionum* Pr.
(ϵ) *motum*. — *modum* Pr.
(ζ) *Praeterea*. — *puta* Pr.

(α) *naturalis*. — *naturaliter* Pr.
(β) *quod*. — Om. Pr.
(γ) *earum secundum numerum*. — *secundum unum* Pr.
(δ) *secundum*. — *si* Pr.
(ϵ) *secundum*. — *sed* Pr.
(ζ) *autem*. — *ergo* Pr.
(η) *igitur*. — *inquit* Pr.

incorruptibilem. Signum autem hujusmodi ex duobus accipi potest. *Primo* quidem ex parte intellectus. Quia ea quae sunt in seipsis corruptibilia, secundum quod intellectu percipiuntur, incorruptibilia sunt. Est enim intellectus apprehensivus rerum in universalis, secundum quem modum non accedit eis corruptio. *Secundo* ex naturali appetitu, qui in nulla re frustrari potest. Videmus enim in hominibus appetitum esse perpetuitatis; et hoc rationabiliter: quia, cum ipsum esse secundum se sit appetibile, oportet quod ab intellectu, qui apprehendit esse simpliciter, et non hic et nunc, appetatur naturaliter esse simpliciter, et secundum omne tempus. Unde videtur quod iste appetitus non sit inanis, sed quod homo secundum animam intellectivam sit incorruptibilis. » — Hec ille. — Et eodem modo loquendi utitur in 4 p. (q. 75, art. 6), ut patuit in probatione conclusionis. Ex quibus patet quod talam probationem vocal probationem per signum. Et ista sufficientant ad exsufflandum instantiam Scotti contra illam rationem sancti Thomae.

Ad secundum dicitur primo, quod ratio sancti Thomae contra quam instatur, non fundatur super illa propositione, scilicet quod *omne corruptibile habet materiam ex qua, vel materiam qua sit pars ejus*, sed super hac propositione, *Omne corruptibile habet materiam ex qua, vel materiam in qua, a qua dependet secundum suum esse naturaliter;* quae quidem evidens est, vel demonstrabilis ratione naturali. Anima autem rationalis neutro modo habet materiam, ut ostendit sanetus Thomas in multis locis, potissime in questionibus *de Anima*, q. 1, ubi sic dicit: « *Hoc aliquid* propriè dicitur individuum in genere substantiae. Dicit enim Philosophus in *Prædicamentis* (cap. de Substantia); quod prime substantiae indubitanter *hoc aliquid* significant; secunde vero substantiae, etsi videantur *hoc aliquid* significare, magis tamen significant *quale aliquid*. Individuum autem in genere substantiae non solum habet ut possit per se subsistere, sed etiam quod sit aliquid completum in aliqua specie. Unde Philosophus, in *Prædicamentis* (ibid.), manum, pedes et hujusmodi nominat partes substantiarum, magis quam substantias primas vel secundas: quia, licet non sint in aliquo sicut in subjecto (quod proprium substantiae est), non tamen participant complete naturam alicujus speciei; unde non sunt in aliqua specie, nec in aliquo genere, nisi per reductionem. Duobus ergo existentibus de ratione ejus quod est *hoc aliquid*, quidam utrumque animam huminam abstulerunt, dicentes animam esse harmoniam, ut Empedocles, aut complexiōnem, ut Galenus, aut aliquid hujusmodi: sic enim anima neque per se subsisteret, neque esset aliquid completum in aliqua specie vel in aliquo genere substantiae; sed esset forma tantum, similis aliis materiaibus formis.

Sed haec positio stare non potest, nec quantum ad animam vegetabilem, cuius operationes oportet habere aliquod principium supergrediens qualitates materiales activas et passivas, que in nutriendo et augmentando se habent instrumentaliter tantum, ut probatur, 2. *de Anima* (t. c. 49 et 50); complexio autem et harmonia qualitates elementares non transcendunt. Similiter autem nec potest stare quantum ad animam sensitivam, cuius operationes sunt in recipiendo species sine materia, ut probatur, 2. *de Anima* (t. c. 121); cum tamen qualitates activae et passivae ultra materiam non se extendant, utpote materie dispositiones existentes. Multo autem minus potest stare quantum ad animam rationalem, cuius operationes sunt in abstrahendo species non solum a materia, sed etiam a conditionibus materialibus individuantibus omnibus; quod requiritur ad cognitionem universalis. Sed adhuc aliquid amplius proprie in anima rationali considerari oportet: quia non solum absque materia et conditionibus materie species intelligibiles accipit, sed etiam nec in propria ejus operatione possibile est communicare aliquod organum corporale, ut sit aliquod corporeum organum intelligendi, sicut oculus est organum videndi, ut probatur in 3. *de Anima* (t. c. 6). Et sic oportet quod anima intellectiva per se agat, utpote propriam operationem habens absque corporis communione. Et quia unumquodque agit secundum quod est actu, oportet quod anima intellectiva habeat esse per se absolutum, non dependens a corpore. Formæ enim quae habent esse dependens a subjecto, non habent per se operationem: non enim calor agit, sed calidum. Et, propter hoc, posteriores philosophi judicaverunt partem animæ intellectivam esse aliquid subsistens per se. Dicit enim Aristoteles, 3. *de Anima* (t. c. 19 et 20), quod intellectus videtur esse substantia quadam, et non corruptibilis. Et in idem reddit dictum Platonis, ponentis animam immortalem et per se subsistentem, eo quod movet seipsum. Large enim accipit motum pro omni operatione, ut sic intelligatur quod intellectus movet seipsum, quia a (α) seipso operatur. Sed ultius posuit Plato, quod anima non solum per se subsisteret, sed etiam quod haberet in seipso completam naturam speciei. Ponebat enim totam naturam speciei humanae in anima esse, diffiniens hominem non esse aliquid compositum ex anima et corpore, sed animam corpore utentem, ut sit comparatio animae ad corpus sicut naufræ ad navem, vel sicut iuditi ad vestem. Sed haec positio stare non potest. Manifestum est enim illud quo vivit corpus, animam esse: vivere autem est vivere in corpore. Anima ergo est id quo corpus humanum habet esse actu. Hujusmodi autem est forma. Est ergo anima corporis humani forma. Item, si anima

(α) *a.* — Om.³ Pr.

est in corpore sicut nauta in navi, non daret speciem corpori, nec partibus ejus; cuius contrarium apparet ex hoc quod, recedente anima, singule partes corporis non retinent nomen pristinum nisi equivoco; dicitur enim equivoco oculus mortui, sicut oculus pictus aut lapideus; et simile est de aliis partibus. Præterea (z), si anima esset in corpore sicut nauta in navi, sequeretur quod unio animæ et corporis esset accidentalis; mors ergo, quæ inducit (6) eorum separationem, non esset corruptio substantialis; quod patet esse falsum. Relinquitur ergo quod anima est *hoc aliquid*, ut per se potens subsistere; non quasi habens completam speciem, sed quasi perficiens speciem humanam, ut est forma corporis. Unde simul est forma et *hoc aliquid*. Quod quidem ex ordine formarum naturalium considerari potest. Invenitur enim inter formas inferiorum corporum tanto aliqua altior, quanto superioribus principiis magis assimilatur et appetitur. Quod quidem ex operationibus propriis pendit potest. Formæ enim elementorum, quæ sunt insimiles, et materiae propinquissimæ, non habent aliquam operationem excedentem qualitates activas et passivas, ut rarus et densum et alio hujusmodi, quæ videntur esse materiæ dispositiones. Super has autem sunt formæ mixtorum corporum, quæ, præter predictas, habent aliquam operationem consequentem speciem, quam sortiuntur ex corporibus cœlestibus: sicut quod adamas attrahit ferrum, non propter calorem aut frigus aut hujusmodi, sed ex quadam participatione virtutis cœlestis. Super has autem formas sunt iterum animæ plantarum, quæ habent similitudinem non solum ad ipsa cœlestia corpora, sed ad motores ipsorum, inquantum sunt principia cujusdam motus quibusdam seipsa moventibus. Super has autem sunt ulterius animæ brutorum, quæ similitudinem jam habent ad substantiam moventem cœlestia corpora, non solum in operatione qua movent corpora, sed etiam in hoc quod etiam in seipsis cognoscitæ sunt; licet brutorum cognitione sit tantummodo materialium, et materialiter; unde organis corporeis indigent. Super has autem ultimo (y) sunt animæ humanæ, quæ similitudinem habent ad superiores substancialias in genere cognitionis, quia immaterialia cognoscere possunt intelligendo. In hoc tamen ab eis differunt, quod cognitionem immaterialem intellectus ex cognitione quæ est per sensum materialium, animæ humanæ natüram acquirendi habent. Sic ergo ex operatione animæ humanæ, modus *esse ipsius cognosci* (z) potest. Inquantum enim habet operationem materialiam transcedentem, *esse suum* est supra

corpus elevatum, non dependens ex ipso; inquantum immaterialem cognitionem ex materiali nata est acquirenre, manifestum est quod complementum sue speciei esse non potest absque corporis unione; non enim aliquid completem est in specie, nisi habeat ea quæ requiruntur ad propriam operationem speciei. Sic ergo anima humana, inquantum unitur corpori ut forma, et habet *esse elevatum* supra corpus, non dependens ab eo, manifestum est quod ipsa est in confinio corporalium et separatarum substancialium constituta. » — Hec ille. — Eamdem ponit sententiam, 1 p., q. 75, art. 2. Item, 2. *Contra Gentiles*, cap. 51, ubi arguit sic: « Formæ secundum se a materia dependentes non ipsæ proprie habent *esse*, sed composita per ipsas. Si ergo naturæ intellectuales essent hujusmodi formæ, sequeretur quod haberent *esse* materiale, sicut et si essent ex materia et forma composite. — Adhuc: Formæ quo per se non subsistunt, non possunt per se agere; agunt attem composite per eas. Si ergo naturæ intellectuales essent hujusmodi formæ, sequeretur quod ipsæ non intelligerent, sed composita ex eis et ex materia; et sic intellectus esset compositus ex materia et forma; quod est impossibile, ut ostensum est, scilicet in precedenti capitulo. — Amplius: Si intellectus esset forma in materia, et non subsistens per se, sequeretur quod illud quod recipitur in intellectu, reciparetur in materia. Hujusmodi enim formæ, quæ habent *esse* in materia obligatum (z), non recipiunt aliquid quod in materia non recipiatur. Cum ergo receptio formarum in intellectu non sit receptio formarum in materia, impossibile est quod intellectus sit forma materialis. — Præterea: Dicere quod intellectus sit forma non subsistens, sed materia immersa, idem est secundum rem ac si dicatur quod intellectus sit compositus ex materia et forma; differt (6) autem solum secundum nomen; nam primo modo dicetur intellectus forma ipsa compositi, secundo modo vero dicetur intellectus esse ipsum compositum ex materia et forma. Si ergo falsum est intellectum esse compositum ex materia et forma, falsum erit quod sit forma non subsistens, sed materialis. » — Hec ille. — Eamdem sententiam in speciali probat de anima intellectuali (y), cap. 62, ubi reprobat positionem Alexandri; et cap. 63, ubi reprobat opinionem Galeni; et multis aliis locis.

Dicitur secundo, quod instantia quam adducit arguens, de forma ignis, non habet apparentiam: quia, licet forma ignis non habeat materialem *ex qua*, habet tamen materialem *in qua*, a qua, secundum suum *esse*, dependet naturaliter; non sic est de anima rationali. Et de hoc satis supra dictum est.

(z) *Præterea*. — *puta* Pr.

(6) *inducit*. — *serrat* Pr.

(y) *ultimo*. — *ultima* Pr.

(6) *ipsius cognosci*. — *ipsi cognoscenti* Pr.

(z) *obligatum*. — *organizationum* Pr.

(6) *differit*. — *differunt* Pr.

(y) *intellectuali*. — *intelligibili* Pr.

Ad tertium dicitur primo, quod diffinitio quam facit arguens, est insufficiens. Quia anima non habet *per se esse* solum prout *per se esse* distinguatur contra *inesse* accidentis; nec habet illud *per se esse* quod convenit supposito de genere substantiae; sed medio modo, quia scilicet *per se subsistit*; sed non est aliquid completum in aliqua specie, in genere substantiae; unde ipsa est *hoc aliquid*, sed non suppositum, nec persona, ut dictum est in solutione secundi. De hoc sanctus Thomas, *de Anima*, q. 4, ubi arguit sic, primo loco: « Si anima humana est *hoc aliquid*, ipsa est subsistens, et habens *per se esse* completum. Quod autem advenit alicui post ejus *esse completum*, advenit ei accidentaliter, ut albedo homini. Corpus igitur unitum anime advenit ei accidentaliter. Si ergo anima est *hoc aliquid*, non est forma substancialis corporis. » Eius argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod, licet anima habeat *esse completum*, non tamen sequitur quod corpus ei accidentaliter unitur: tum quia illud idem *esse* quod est anime, communicatur corpori, ut unum *esse* sit totius compositi; tum etiam quia (z), etsi possit *per se subsistere*, non tamen habet speciem completam, sed corpus advenit ei ad completionem speciei. » — Hæc ille. — Item, ibidem, in solutione noni, sic dicit: « Esse in alio sicut accidens in subjecto, tollit rationem ejus quod est *hoc aliquid*; esse autem in alio sicut partem (quo modo anima est in (G) homine), non omnino excludit quin illud quod est in alio, possit *hoc aliquid* dici. » Item, in solutione decimiseptimi, sic dicit: « Licet *esse* sit formalissimum inter omnia, tamen est etiam (y) maxime communicabile (z), licet non eodem modo ab inferioribus et superioribus communicetur. Sic ergo anima et corpus *esse* participant, sed non ita nobiliter (e) corpus sicut anima. » Item, in solutione decimooctavi, sic dicit: « Quamvis *esse* anime sit etiam quodammodo corporis, non tamen corpus attingit ad *esse* anime participandum secundum totam suam nobilitatem et virtutem; et ideo est aliqua operatio anime, in qua non communicat corpus. » — Hæc ille. — Item, 1 p., q. 75, art. 2, in solutione primi, sic dicit: « *Hoc aliquid* potest accipi dupliciter: uno modo, pro quocumque subsistente; alio modo, pro subsistente completo in natura alicujus speciei. Primo modo excludit inherentiam accidentis, et formam materialis; secundo modo etiam partis imperfectionem. Unde manus posset dici *hoc aliquid* primo, sed non secundo modo. Sic ergo, enim anima humana sit pars humanae speciei, potest dici *hoc*

aliquid primo modo, quasi subsistens; sed non secundo modo; sic enim compositum ex anima et corpore dicitur *hoc aliquid*. » — Hæc ille.

Dicitur secundo, quod *per se esse* divini suppositi non est communicabile multis, eo modo quo universalis communicatur pluribus individuis, nec illo modo quo forma communicatur materiae vel subjecto; nec similiter est communicabile alicui supposito creato; sed tamen communicabile est alicui naturae creatæ, non sic quod natura per illud *per se esse* per se subsistat, sed sic quod natura creata trahatur ad participationem illius *esse*. De hoc sanctus Thomas, 3 p., q. 2, art. 6, in solutione secundi, sic dicit: « Illud quod advenit alicui post ejus *esse completum*, accidentaliter advenit, nisi trahatur in communionem illius *esse completi*: sicut in resurrectione corpus adveniet anime praesistenti; non tamen accidentaliter, quia ad idem *esse* assumetur, ut scilicet corpus habeat *esse* vitale per animam; non sic est de albedine, quia aliud est *esse* albi, et aliud est *esse* hominis, cui advenit albedo. Verbum autem Dei aeterno *esse completum* habuit secundum hypostasim sive personam; ex tempore autem advenit ei natura humana, non quasi assumpta ad unum *esse* prout est natura, sicut corpus assumitur ad *esse* anime, sed ad unum *esse* prout est hypostasis vel personæ (z). Et ideo humana natura non unitur accidentaliter Filio Dei. » — Hæc ille. — Idem ponit, 3. *Sentent.*, dist. 6, quæst. ult., art. ult.

Dicitur tertio, quod evidenti ratione potest probari animam humanam habere *per se esse* et subsistere, et esse *hoc aliquid*. Et licet de hoc satis supradictum fuerit, tamen ex abundanti dicetur amplius in sequenti solutione.

Ad quartum dicitur primo, quod aliquid est destrucibile a Deo, vel annihilabile, sine separatione duorum ab invicem, quorum unum alio destructo maneat; sed illud quod est sic (G) destrucibile, non dicitur proprie corruptibile. De hoc sanctus Thomas, 1 p., q. 75, art. 6, sic dicit, in solutione secundi argumenti: « Sicut posse creari dicitur aliquid non per potentiam passivam, sed solum propter potentiam activam creantis, quæ ex nihilo potest producere; ita, cum dicitur aliquid vertibile in nihil, non importatur in creatura potentia ad non *esse*, sed in Creatore potentia ad hoc quod *esse* non influat. Dicitur autem aliquid corruptibile per hoc quod inest ei potentia ad non *esse*. » — Hæc ille. — Item, *de Potentia Dei*, q. 8, art. 3, sic dicit: « In rebus a Deo factis, dicitur aliquid *esse possibile* duplice. Uno modo, per potentiam facientis tantum: sicut, antequam mundus fieret, possibile fuit mundum fore, non per poten-

(z) etiam quia, — quia etiam Pr.

(G) in, — Om. Pr.

(y) etiam, — Om. Pr.

(z) etiam, — Ad. Pr.

(e) nobiliter, — mobiliter Pr.

(z) personæ, — per se Pr.

(G) est sic, — sit Pr.

tiam creature, quae nulla erat, sed solum per potentiam Dei, qui mundum in *esse* producere poterat. Alio modo, per potentiam quae est in rebus factis: sicut possibile est corpus compositum corrupti. Si ergo loquamus de possibilite ad *non esse* ex parte (z) rerum factarum, dupliceiter circa hoc aliqui opinati sunt. Avicenna namque posuit (lib. 8. *Metaph.*, cap. 6) quod quilibet res, praeter Deum, habebat in se possibilitem ad *esse* et ad *non esse*: cum enim *esse* sit preter essentialium quilibet rei creatae, ipsa natura rei creatae per se considerata, possibilis est ad *esse* et ad *non esse*: necessitatem vero essendi non habet nisi ab illo cuius natura est suum *esse*, et per consequens est per se necessere esse; et hoc est Deus. Commentator vero, in 12. *Metaphysicæ* (com. 44), et in libro *de Substantia orbis*, contrarium ponit, scilicet quod quoddam res creatae sunt, in quarum natura non est possibilas ad *non esse*; quia quod in sua natura habet possibilitem ad *non esse*, non potest ab extrinseco acquirere sempiternitatem, ut scilicet per naturam sit sempiternum. Et haec quidem positio videtur rationabilior. Potentia enim ad *esse* et ad *non esse* non convenit alicui nisi ratione materie, que est pura potentia. Materia etiam, cum non possit esse sine forma, non potest esse in potentia ad *non esse* nisi quatenus existens sub forma una, est in potentia ad aliam formam. Dupliceiter autem potest contingere quod in natura alicujus rei non sit possibilas ad *non esse*. Uno modo, per hoc quod res illa sit forma tantum subsistens in suo *esse*: sicut substantiae incorporeæ, que sunt penitus immateriales. Si enim forma, ex hoc quod inest materia, est principium essendi in rebus materialibus, potentia ad *non esse* in rebus non poterit esse nisi per separationem formæ: et ubi ipsa forma in suo *esse* subsistit (6), nullo modo esse poterit; sicut nec potest aliquid a seipso separari. Alio modo, per hoc quod in materia non sit potentia ad aliam formam, sed tota materia possibilas ad unam formam terminetur; sicut est in corporibus coelestibus, in quibus non est formarum contrarietas. Ille ergo sole res in sua natura habent possibilitem ad *non esse*, in quibus est materia contrarietati subjecta. Aliis vero rebus secundum suam naturam competit necessitas essendi, possibilite non essendi ab eorum natura sublata. Nec tamen per hoc rennovetur quoniam necessitas essendi sit eis a Deo: quia unum necessarium potest esse causa alterius, ut dicitur, 5. *Metaphysicæ* (t. c. 6); ipsius enim naturæ creatæ cui competit sempiternitas, causa est Deus. In illis etiam rebus in quibus est possibilas ad *esse* et ad *non esse*, materia permanet; formæ vero, sicut ex potentia materiae educuntur in actu in rerum

generatione, ita in corruptione de actu reducuntur in hoc quod sint in potentia. Unde relinquitur quod in toto natura creata (z) non est aliqua potentia, per quam sit possibile aliquid tendere (6) in nihilum. — Si autem recurramus ad potentiam Dei facientis, sic considerandum est quod dupliceiter dicitur Deo aliquid impossibile esse. Uno modo, quia est secundum se impossibile, quia non est natum alieni potentiae suffici; sicut sunt illa que contradictionem implicant. Alio modo, ex eo quod est necessitas ad oppositum. Quod quidem dupliceiter contingit in aliquo agente. Uno modo, ex parte (7) potentiae activæ naturalis, que terminatur ad unum tantum; sicut potentia calidi est ad calefaciendum; et hoc modo Deus Pater generat Filium, et non potest non generare. Alio modo, ex parte (8) finis ultimi, in quem quilibet res de necessitate tendit: sicut et homo de necessitate vult beatitudinem, et impossibile est cum velle miserari; et similiter Deus de necessitate vult suam bonitatem, et impossibile est cum velle illa cum quibus sua bonitas esse non potest; sicut dicimus quod impossibile est Deum mentiri, aut velle mentiri. Creaturas autem simpliciter non esse, non est in se impossibile, quasi contradictionem implicans (alias ab aeterno frassent; et hoc ideo est, quia non sunt suum *esse*): ut sic, cum dicitur, *Creatura (z) non est*, oppositum predicati includatur in definitione subjecti, ut si dicatur, *Homo non est animal rationale* (hujusmodi enim contradictionem implicant, et sunt secundum se impossibilia). Similiter Deus non producit creaturas ex necessitate nature, ut sic potentia Dei determinetur ad *esse* creature. Similiter etiam nec bonitas Dei a creaturis dependet, ut sine creaturis esse non possit; quia per creaturas nihil divinae bonitati adjungitur. Relinquitur ergo quod non est impossibile Deum res ad *non esse* deducere; cum non sit necessarium eum rebus esse probare, nisi ex suppositione sue ordinationis et præscientiae, quia sic ordinavit et præscivit ut res in perpetuum *esse* teneret. » — Haec ille. — Simile ponit, 2. *Contra Gentiles*, cap. 55, ut recitatum est superius (ad primum), scilicet quod res non dicitur corruptibilis ex sola potentia agentis ad destruendum, nisi in re sit potentia passiva ad *non esse*. Idem ponit, cap. 60 (7). Item, *de Anima*, q. 44, in solutione decimoni, sic dicit: « Illud quod est ex nihilo, veribile est in nihil, nisi manu

(z) *creata*. — Om. Pr.(6) *tendere*. — *cadere* Pr.(7) *ex parte*. — *existente* Pr.(8) *ex parte*. — *existente* Pr.(6) *quod*. — Ad. Pr.

(7) In hoc capitulo dicit S. Thomas: « Combustibile est potens comburi non solum quia est aliquid potens combure ipsum, sed etiam quia in se habet potentiam ut comburatur. »

(z) *ex parte*. — *existente* Pr.(6) *subsistit*. — *consistit* Pr.

gubernatoris conservetur. Sed ex hoc non dicitur aliquid corruptibile, sed ex eo quod habeat in se aliquod principium corruptionis; corruptibile enim et incorruptibile sunt praedicta essentialia. » — Haec ille. — Item, in solutione quinti, dicit : « Corruptibile et incorruptibile sunt praedicta essentialia, quia consequuntur essentiam sicut principium formale vel materiale, non autem sicut principium activum; sed principium activum perpetuitatis aliorum est extrinsecum. »

Dicitur secundo, quod nihil est corruptibile tamquam habens in se principium activum intrinsecum vel passivum ad *non esse*, nisi per separationem formae ab ipso, et amissionem proprie formae; et hoc, loquendo de corruptibili per se. De hoc sanctus Thomas, *de Anima*, q. 14, sic dicit : « Necessere est animam humanam omnino incorruptibilem esse. Ad cuius evidentiam considerandum est quod illud quod per se consequitur ad aliquid, non potest removeri ab eo : sicut ab homine non removetur quod sit animal; neque a numero quod sit par vel impar. Manifestum est autem quod esse per se sequitur formam : unumquodque enim habet esse secundum propriam formam. Unde esse a forma nullo modo potest separari. Corrumptur ergo composita ex materia et forma per hoc quod amittunt formam, ad quam consequitur esse. Ipsa autem forma per se non potest corrumphi; sed per accidens, corrupto composito, corrumpitur, inquantum deficit esse compositi, quod est per formam, si forma sit talis quae non sit habens esse, sed sit solum quo compositum est. Si ergo sit aliqua forma quae sit (z) habens esse, necessere est illam formam incorruptibilem esse. Non enim separatur esse ab aliquo habente esse, nisi per hoc quod separatur forma ab eo; unde si id quod habet esse sit ipsa forma, impossibile est quod separetur ab eo. Manifestum est autem quod principium quo homo intelligit, est forma habens esse, et non solum ens, sicut quod aliquid est. Intelligere enim, ut Philosophus probat, 3. *de Anima* (t. c. 6), non est actus expletus per organum corporale. Non enim posset inveniri aliquod corporale organum, quod esset receptivum omnium naturarum sensibilium; præsertim quia recipiens debet esse denudatum a natura recepti (sicut pupilla caret colore); omne autem organum corporale habet aliquam naturam sensibilem; intellectus vero in quo intelligimus, est cognoscitivus omnium naturarum sensibilium; unde impossibile est quod ejus operatio, que est intelligere, exerceatur per aliquod organum corporale. Unde apparet quod intellectus habet operationem per se, in qua non communicat corpus. Unumquodque autem operatur secundum quod est : quae enim per se habent esse, per se operantur; que vero non habent esse per se, non habent per se

(z) sit. — sic Pr.

operationem; non enim calor caleficit, sed calidum. Sic ergo (z) patet quod principium intellectivum, quo homo intelligit, habet esse elevatum supra corpus, non dependens a corpore. Manifestum est etiam quod hujusmodi principium intellectivum non est aliquid ex materia et forma compositum : quia species recipiuntur in ipso immaterialiter; quod declaratur ex hoc quod intellectus est universalium, quae considerantur ex abstractione a materia et materialibus conditionibus. Relinquitur ergo quod intellectivum principium, quo homo intelligit, sit forma habens esse; unde necesse est quod sit incorruptibilis. Et hoc est quod dicit Philosophus (3. *de Anima*, t. c. 20), quod intellectus est quoddam divinum et perpetuum. Ostensum est etiam in superioribus questionibus, quod principium intellectivum, quo homo intelligit, non est aliqua substantia separata; sed est aliquid formaliter inherens homini, quod est anima, vel pars animæ. Unde relinquitur ex praedictis quod anima humana sit incorruptibilis. » — Haec ille.

Dicitur tertio, quod instantia quam affert arguens de esse angeli, non valet. Tum quia esse angeli non est corruptibile nec destructibile per potentiam intrinsecam, sed solum per potentiam agentis; ideo est simpliciter incorruptibile. Tum quia non solum in angelo esse est incorruptibile, et similiter in anima, verum etiam in asino esse non est corruptibile per se, sed solum per accidens, ut ostendit sanctus Thomas *de Anima*, q. 1, in solutione decimi-quarti, ubi sic dicit : « Illud (6) quod proprie corrumpitur, non est (7) forma, neque materia, neque ipsum esse, sed compositum. Dicitur autem esse corporis corruptibile, inquantum corpus per corruptionem deficit ab illo esse quod erat corpori et animæ commune, quod remanet in anima subsistente, etc. » — Haec ille. — Tum quia instantia est ad propositum nostrum plusquam ad oppositum : quia, cum sole creature sint corruptibles vel destructibles, in omni autem creature sit compositio esse et entis, quam compositionem oportet tolli in corruptione vel destructione cuiuslibet entis, qualcumque sit illud, compositio autem non tollatur nisi per separationem compositorum, appareat manifeste quod nulla corruptio potest cogitari nisi per separationem alicujus ab aliquo. Et ideo patet quod instantie illatae contra probationem conclusionis sunt indisciplinatae et proterve.

Ad primum corrumque idem Scotus secundo loco inducit contra primam conclusionem, dicitur quod responsio ibidem assignata, et ratio in oppositum formata, non valet. Quia utrumque fundatur in hac falsa propositione : scilicet quod anima maneat

(z) ergo. — enim Pr.

(6) ubi sic dicit : « Illud. — dist. 5 Pr.

(7) neque. — Ad. Pr.

seque perfecta extra suum totum, et a corpore separata, sicut conjuncta; et quod nullam perfectionem acquirat ex conjunctione ejus ad corpus. Hujus autem falsitas ostensa est in precedenti questione, solvendo ad argumenta Scoti ultimo loco contra tertium conclusionem, ubi ostensum est quomodo anima conjuncta perfectior est naturali perfectione quam sit dum est separata: quia scilicet in aliquos effectus potest conjuncta, in quos non potest dum est separata. Tum secundo, quia separata non habet integrum naturam speciei, nec finem ad quem naturaliter ordinatur. Tum tertio, quia, ut recitatum est in hac questione, superius, in solutione secundi, in quantum anima humana operationem habet materialia transcendentia, esse suum est supra corpus elevatum, non dependens ex ipso; in quantum vero materialem cognitionem ex materiali nata est acquirere; manifestum est quod complementum sue speciei non habet absque corporis unione; non enim aliquid completum est in specie, nisi habeat ea que requirantur ad propriam operationem speciei. Et multa alla superius contra istam proterviam dicta sunt.

Ad secundum dicitur primo, quod inclinatio naturalis animae ad corpus non est solum secundo modo, sed etiam primo modo ibidem dicto, scilicet sicut imperfecti ad perfectum, et potentiae essentialis ad actum primum. Quod patet ex precedentibus: quia anima rationalis inclinatur ad corpus, tum ad constitutendum naturam compositam et integrum sue speciei, tum ad acquirendum potentias organicas quas non potest habere a corpore separata, tum ad acquirendum suum naturalem finem substantialem, ut patuit tam in hac questione quam in precedenti. — Dicitur secundo, quod dictum Avicenni parum valet in hac materia: quia, posito quod appetitus animalis vel intellectualis animae humanae esset satiatus, ex quo acquisivit semel in corpore perfectionem secundam, puta habitus scientiarum et virtutum; tamen appetitus naturalis quo appetit perfectionem primam, qua est integritas naturae specificae, et complementum potentiarum ab essentialia animae fluentium, nullo modo esset satiatus, quandom est anima separata a corpore. Ideo neutra responsio valet.

Ad tertium dicitur primo, quod per rationem naturalem apparet quod Deus est hominum rector secundum leges justitiae retributivae et punitivae. Hoc enim ostendit sanctus Thomas, 3. *Contra Gentiles*, per multa capita. Nam sexagesimo quarto capitulo, probat decem rationibus quod Deus sua providentia res gubernat; et, cap. 75, probat novem vel decem rationibus quod divina providentia perfingit usque ad singulare generabilia et corruptibilia; et, cap. 90, probat quod electiones humanae voluntatis subduntur divinae providentiae. Item, capitulis 111, 112, 113, ostendit quod creature rationales speciali

quadam ratione divinae providentiae subduntur. Item, cap. 114, et octo capitulis sequentibus, probat quod leges dantur divinitus hominibus. Item, cap. 140, probat quod actus hominum puniuntur et praemiantur a Deo, dicens: « Ex premissis autem manifestum est quod actus hominum puniuntur et praemiantur a Deo. Ejus enim est punire vel praemiare, cuius est legem imponere; legis enim latores per praemia et penas legis observantiam inducunt. Sed ad divinam providentiam pertinet ut leges hominibus imponeret, ut ex supradictis (cap. 114) patet. Ergo ad eum pertinet punire vel praemiare. — Praeterea: Ubiunque est aliquis debitus ordo ad finem, oportet quod ordo ille servatus ad finem ducat, recessus autem ab ordine finem excludat: ea enim quae sunt ad finem, necessitatem sortiuntur ex fine, scilicet ut ea necesse sit esse, si finis debeat sequi, et, eis absque impedimento existentibus, finis consequatur. Deus autem imposuit actibus hominum ordinem aliquem in respectu ad finem boni, ut ex predictis (cap. 115 et seq.) patet. Oportet ergo quod, si ille ordo recte positus est, quod incedentes (z) per illum ordinem finem boni consequantur, quod est praemiari; recessentes autem ab illo ordine per peccatum a fine boni excludi, quod est puniri. — Adhuc: Sicut res naturales ordinis divinae providentiae subduntur, ita et actus humani, ut ex predictis (cap. 90) patet. Utrobique autem contingit debitum ordinem servari, vel etiam profermiti. Hoc tamen interest: quod observatio vel transgressio debiti ordinis est in potestate humanae voluntatis constituta; non autem in potestate naturalium rerum est quod a debito ordine per se deficiant, vel ipsum sequantur. Oportet autem effectus causis per convenientiam respondere. Sicut ergo res naturales, cum in eis debitus ordo naturalium principiorum et actionum servatur, sequitur ex necessitate naturae conservatio et bonum in ipsis, corruptio autem et malum, cum a debito et naturali ordine receditur; ita etiam in rebus humanis oportet quod, cum homo voluntarie servat ordinem legis divinitus impositum, consequatur bonus, non velut ex necessitate, sed ex dispensatione gubernantis, quod est praemiari, et econtrario malum, cum ordo legis fuerit profermissus, et hoc est puniri. — Amplius: Ad perfectam Dei bonitatem pertinet quod nihil in rebus inordinatum relinquit; unde in rebus naturalibus videmus contingere quod omne malum sub ordine aliquius boni concluditur, sicut corruptio aeris est generatio ignis, et occasio ovis est pastus lupi. Cum ergo actus humani divinae providentiae subdantur, sicut et res naturales, oportet malum quod accedit in humanis actibus, sub ordine aliquius boni concludi. Hoc autem convenientissime fit per hoc quod peccata puniuntur: sic enim sub ordine

(z) incedentes. — intendentes Pr.

justitiae, que ad aequalitatem reducit, comprehensum est ea quae debitam quantitatem excedunt; excedit autem homo debitum suam quantitatis gradum, dum voluntatem suam divine voluntati preferat, satisfaciendo ei (z) contra ordinationem Dei; que quidem inequalitas tollitur, dum contra voluntatem suam homo aliquid pati cogitur secundum ordinacionem divinam. Oportet ergo quod peccata humana divinitus puniantur; et, eadem ratione, bona facta recompensationem accipient. — Item: Divina providentia non solum disponit rerum ordinem, sed etiam movet omnia ad ordinis ab eo dispositi executionem, ut supra (cap. 77) ostensum est. Voluntas autem a suo objecto movetur, quod est bonum vel malum. Ad divinam ergo providentiam pertinet quod hominibus bona proponat in premium, ut voluntas ad recte procedendum moveatur, et mala proponat in penam, ad hoc quod inordinationem vitet. — Praeterea: Divina providentia hoc modo res ordinavit, quod una alteri prosit. Convenientissime autem homo proficit ad finem tam ex bono quam ex malo alterius, dum excitatur (b) ab bene agentium per hoc quod videt bene agentem premiari, et dum revocatur a male agendo per hoc quod videt male agentes puniri. Ad divinam ergo providentiam pertinet quod mali puniantur, et boni premiantur. » — Haec ille. — Ex quibus patet ipsam derisibilis sit illa protervia quam ponit arguens primo loco, et contraria evidenti rationi naturali.

Dicitur secundo, quod secunda protervia aequa derisibilis est. Nam sanctus Thomas, ubi supra (3. *Cont. Gent.*), cap. 145, probat naturali ratione manifesta (z) vel evidenti, quod Deus punit peccata per experientiam alienus nocivi, dicens: « Non solum autem qui contra Deum peccant puniendi sunt per hoc quod a fine perpetuo excluduntur, sed etiam per experientiam alienus nocivi. Puna enim debet proportionabiliter respondere culpe, ut supra (cap. 142) ostensum est. In culpa autem non solum avertitur mens ab ultimo fine, sed etiam indebitate convertitur in alia quasi in fames. Non solum ergo puniendus est qui sic peccat per hoc quod excludatur (z) a fine, sed etiam per hoc quod ex aliis rebus sentiat nocumentum. — Amplius: Puna inferuntur pro culpis, ut timore paenarum homines a peccatis retrahantur, ut supra (cap. 140) dictum est. Nullus autem timet amittere illud quod non desiderat adipisci. Qui ergo habent voluntatem aversam ab ultimo fine, non timent excludi ab illo. Non ergo per solam exclusionem ab ultimo fine a peccando revocarentur. Oportet ergo peccantibus aliam punam adhiberi, quam timeant peccantes. — Item: Si quis eo quod est ad finem inordinale utatur, non solum

fine privatur, sed etiam aliud nocumentum incurrit: ut patet in cibo inordinate sumpto, qui non solum sanitatem non confort, sed etiam segritudinem inducit. Qui autem in rebus creatis fine constituit, eis non utiliter secundum quod debet, referendo scilicet ad ultimum finem. Non ergo solum debet puniri per hoc quod beatitudine careat, sed etiam per hoc quod aliquod nocumentum ab ipsis experatur. » — Haec ille, cum quibusdam aliis, ex quibus in fine concludit: « Per hoc, impunit, excluditur opinio Algazelis, qui posuit quod peccatoribus haec sola pena reddetur, quod affligeretur pro ammissione ultimi finis. »

Ex predictis omnibus appareat quod rationes naturales sancti Thome probantes futuram hominum resurrectionem, multum probabiles sunt, etsi forte non demonstrant, cum sit articulus fidei; instantiae vero contra eas adductae, sunt multum improbabiles et proterea.

§ 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

I. *Ad argumenta Aureoli.* — *Ad argumenta Aureoli contra secundam conclusionem inducta, dicitur primo, quod unio anime ad corpus, quam dicimus animam propria virtute non posse facere, tria potest importare. Primo quidem, actionem vel passionem qua anima unitur corpori, vel qua ex anima et corpore fit unum. Secundo, potest importare unitatem et indisionem anime ad corpus in quadam natura vel persona ex eis resultante, et in quadam esse communis animae et corpori; quia quidem unitas est terminus predictae actionis. Tertio, potest dicere et importare relationem anime ad corpus, consequenter predictam actionem. Et quod tot modis potest accipi, patet ex dictis beati Thome in multis locis, presertim 3. *Sentent.*, dist. 5, q. 1 art. 1, in solutione prima questionis, ubi sic dicit: « Unio relatio quedam est. Quinis autem relatio, secundum Philosophum, 3. *Metaphysicae* (1. c. 20), fundatur vel supra quantitatem, aut aliquid quod reducitur ad genus quantitatis, aut super actionem et passionem. Unum autem reducitur ad genus quantitatis, quasi principium quantitatis discrebere; et super ipsum fundatur identitas, secundum quod est unum in substantia; et aequalitas, secundum quod est unum in quantitate; et similitudo, secundum quod est unum in qualitate. Unio autem est quedam actio vel passio, qua ex multis efficiunt aliquo modo unum; et hanc actionem sequitur ista relatio que est unio. » — Haec ille. — Item, in eodem *Tertio*, dist. 2, q. 2, art. 2, in solutione tertiae questionis, sic dicit: « Natura relationis est ut in aliis rerum generibus causam habeat, quia minimum habet de natura entis, ut dicit Commentator, in 12. *Metaphysicae* (com. 49). »*

(z) *ei.* — *enim* Pr.

(b) *excitatur.* — *exercitatur* Pr.

(y) *manifesta.* — *manifeste* Pr.

(z) *excludatur.* — *excluditur* Pr.

Unde, quamvis relatio per se non terminet (2) motum, quia in *ad aliquid* non est motus, ut probatur, 5. *Physicorum* (t. c. 10), tamen, ex hoc quod motus terminatur per se ad aliquod ens, de necessitate consequitur relatio aliqua: sicut ex hoc quod motus alterationis terminatur ad albedinem, consequitur relatio similitudinis ad omnia alba; similiter etiam ex hoc quod motus generationis terminetur ad formam, consequitur hae relatio secundum quam materia dicitur esse sub forma. » — Hoc ille. — Item, ibidem, in solutione primi, sic dicit: « Nihil prohibet accidentis esse medium in conjunctione substantiali, sicut conjunctionem consequens; impossibile est tamen ut sit medium conjunctionem causans. » — Item, dist. 4, q. 1, art. 1, sic dicit: « Unio aliorum duorum vel trinum potest esse tripliciter. Uno modo, secundum quod aliqua non uniuntur ad invicem nisi per conjunctionem eorum in aliquo uno. Quaedam vero e converso uniuntur per conjunctionem eorum ad invicem, et in aliquo uno, quod ex eorum conjunctione constituitur. Quaedam vero per conjunctionem eorum ad invicem, sed non in aliquo uno, quia ex eorum conjunctione nihil resultat. Primum horum contingit quatuor modis: quia vel illud unum in quo conjunguntur, est idem numero, sicut duo brachia conjunguntur in pectore, vel duo rami qui se non tangunt nisi in uno trunko; vel unum secundum speciem, sicut Socrates et Platō in hominibus vel unius genere, sicut homo et asinus in animali; vel unum in analogia seu proportione, sicut substantia et qualitas in ente; quia, sicut se habet substantia ad esse sibi debitum, ita et qualitas ad esse suo generi conveniens. Quaedam vero conjunguntur ad invicem, et, ultra hoc, in aliquo uno ex eorum conjunctione constituto, sicut materia et forma; quia forma conjungitur materia ut perfectio ejus, et ambo conjunguntur in natura communis; et simile est de partibus quantitatis continuales ad invicem, ita quod ex eis provenit aliquod totum, in quo duas partes communicant. Ea vero quae uniuntur ad invicem et non in aliquo uno, sunt sicut accidentis et subjectum, ex quibus non efficitur unum per se, cuius accidentis et subjectum partes diei possint, ut probatur in 8. *Metaphysicae* (t. c. 15 et 16). » — Hoc ille. — Ex quibus patet propositum.

Dicitur secundo, quod relatio unionis animae ad corpus non solum dicit insinuam praesentialitatem anime ad corpus per identitatem situs aut loci, aut praesentialem motoris ad mobile; sed dicit relationem consequentem actionem, aut illam actionem, aut terminum per se illius actionis; quorum nullum anima potest efficere propria virtute.

Dicitur tertio, quod animare et vivificare non proficit ab anima tamquam a principio effectivo,

(a) terminat. — timet Pr.

quia illud est Deus; sed tamquam a principio formalis, quod presupponit actionem efficientis reducentis materiam de potentia ad actum et facientis unum ex materia et forma, et conjugentis unum alteri. Ex hoc sanctus Thōmās, 2. *Contra Gentiles*, cap. 68: « Ad hoc, inquit, quod aliquid sit forma substantialis alterius, duo requiruntur. Quorum unum est ut forma sit principium essendi substantialiter ei cuius est forma. Principium autem dico non effectivum, sed formale, quo aliquid est et denominatur ens. Secundum est quod forma et materia convenienter in uno esse. Quod non contingit de principio effectivo cum eo cui dat esse. Et hoc esse (2) est in quo subsistit substantialis composita, que est una secundum esse, ex materia et forma consilans. » — Hoc ille. — Item, cap. 71, sic dicit: « Anima unitur corpori ut forma eius. Forma autem unitur materie absque omni medio. Per se enim competit forma quod sit actus corporis, et non per aliquid aliud. Unde nec est aliquid unum faciens ex materia et forma, nisi agens quod potentiam reducit ad actum, ut probat Aristoteles (8. *Metaphysicae*, t. c. 10); nam materia et forma habent se ut potentia et actus. » — Hoc ille.

Dicitur quarto, quod arguens imaginatur falsum, scilicet quod perfecte dispositio corporis ad receptionem animae rationalis possit esse vel fieri sine unione anime ad corpus. Hoc enim falsum est: quia prius natura anima unitur materiae et informat eam et dat ei esse corporis, quam materia recipiat aliquod accidentis vel dispositionem quacumque: licet simul duratione anima det ultimam perfectionem substantialis materiae, et perfectam dispositionem accidentalem. Hoc autem qualiter possit fieri, ostendit sanctus Thomas, *de Anima*, q. 9, ubi sic dicit: « Cum forme rerum naturalium sint sicut numeri, in quibus est diversitas speciei, addita vel subtracta unitate, ut dicitur in 8. *Metaphysicae* (t. c. 10), oportet intelligere diversitatem formarum naturalium, secundum quas constituitur materia in diversis speciebus, ex hoc quod una addit perfectionem super aliam: ut puta quod una forma constituit in esse corporali tantum (hinc enim oportet esse infinitum (6) gradum formarum naturalium, eo quod materia non est in potentia nisi ad formas corporales; quae enim incorporea sunt, immaterialia sunt, ut in praecedentibus ostensus est); alia autem perfectior forma constituit materiali in esse corporali, et ulterius dat ei esse vitale; et ulterius forma animalis dat ei et esse corporeum, et esse vitale, et (7) super hoc addit esse sensitivum; et sic est in aliis. Oportet ergo intelligere quod forma perfectior, secundum quod constituit

(2) esse. — Om. Pr.

(6) infinitum. — infinitum Pr.

(7) et. — Om. Pr.

materiam in perfectione inferioris gradus, que cum materia compositum constituit, intelligatur ut materiale respectu anterioris perfectionis, et sic ulterius procedendo: utpote (z) materia prima, secundum quod constituta est in esse corporeo, est potentia respectu anterioris perfectionis, que est vita. Et exinde est quod corpus est genus corporis viventis, et animalium, sive vivens, est differentia; nam genus sumitur a materia, et differentia a forma. Et sic quodammodo eadem forma secundum quod constituit materiam in actu inferioris gradus, est media inter materiam et seipsum secundum quod constituit eam in actu superioris gradus. Materia autem, prout intelligitur constituta in esse substantiali secundum perfectionem inferioris gradus, per consequens intelligi potest ut accidentibus subjecta: nam substantia secundum ipsum inferiorem gradum perfectionis, necesse est quod habeat aliqua accidentia propria, quae necesse est ei inesse; sicut ex materia constituta in esse corporeo per formas, statim consequitur ut sint in ea dimensiones, per quas intelligitur materia divisibilis per diversas partes; ut sic secundum diversas partes sui possit esse susceptiva diversarum formarum. Et ulterius, ex quo materia jam intelligitur constituta in esse quoddam substantiali, intelligi potest susceptiva accidentum quibus disponitur ad ulteriorem perfectionem, secundum quam materia sit propria ad altiorem perfectionem suscipiendam. Hujusmodi autem dispositiones praetelliguntur ut inducet ab agente in materiam, sicut sint quadam accidentia ita propria formae, quod non nisi ex ipsa forma causantur in materia; unde non praetelliguntur (z) in materia formae quasi dispositiones, sed magis forma praetelligetur eis, sicut causa effectui. Sic igitur, cum anima sit forma substantialis, quia constituit hominem in determinata specie substance, non est aliqua alia forma substantialis media inter animam et materiam primam; sed homo ab anima ipsa perficitur secundum diversos gradus perfectionis, ut sit scilicet corpus, et animalium corpus, et animal, et animal rationale. Sed oportet quod materia secundum quod intelligitur ut recipiens ab ipsa anima rationali perfectiones inferioris gradus, puta quod sit corpus, et animalium corpus, et animal, intelligatur solum cum dispositionibus convenientibus, quod sit materia propria ad animam rationalem secundum quod dat ultimum perfectionem. Sic ergo anima secundum quod est forma dans esse, non habet aliquid aliud medium inter se et materiam primam. — Huc iller. — Item, 3. *Sentent.*, dist. 17, q. 1, art. 4, in solutione secundae questio[n]e, sic dicit: « In generatione naturali, quae est terminus alterationis, in eodem

instanti terminatur alteratio ad dispositionem quae est necessitas, et generatio ad formam. Et tamen secundum ordinem naturae utrumque est prius altero aliquo modo: quia dispositio quae est necessitas, precedit formam secundum ordinem cause materialis; sed forma est prior secundum ordinem cause formalis. Et secundum hunc modum illa qualitas consummata est etiam formalis effectus formae substantialis, secundum quod forma substantialis est causa formae accidentalis, etc. » Et, post pauca, subdit: « Qualitates quae introducuntur simul cum forma substantiali, quodammodo formantur per formam substantialiem. Et sic qualitas praedicta ante sui consummationem et formae introductionem non erat formata, sed informis. » — Huc iller.

Ad secundum principale dicitur primo, quod anima et corpus sunt unita in aliquo medio, et, cum hoc, inter se, ut prius dictum fuit. Nec proprie sunt unum indivisum in actu, eo modo quo singit arguens. Sed proprius loquendo, constituent unum tertium, scilicet naturam, vel suppositum quod ex eis resultat, ut diffuse visum fuit, 3. *Sentent.* (dist. 2, q. 1). Improperie tamen dicuntur unum actu, in quantum uniuntur in uno esse, et in uno tertio medio ex eis resultante. Et sic intelligenda sunt dicta doctorum dicentium quod materia et forma, actus et potentia, sunt unum. — Dicitur secundo, quod *prima ratio* adducta ad probandum assumptum iam negatum, non valet: quia licet concludat quod inter animam et corpus, vel formam et suam materiam, sit unitas negativa vel privativa, et indivisio quoad esse et naturam et suppositum; non tamen concludit quin (z) cum tali unitate sit essentialis distinctio formae a materia, et econtra, nec quin (z) unum referatur ad aliud relatione unionis. — Dicitur tertio, quod *secunda ratio* ad idem propositum adducta non valet. Quia dicitur quod compositum est tertia res distincta a qualibet partium et ambabus simul sumptis, sicut effectus distinguuntur a suis causis, modo alias exposito (y). Item, quod materia et forma non proprie dicuntur unum, nec idem in illa tertia re, sed unita in illa tertia entitate, ut dictum est. Item, quod unitas et indivisio compositi et illius tertie entitatis non fundatur in materia, nec in forma, nec in utraque, sed in illa entitate tertia, quae dicitur humanitas, vel homo. — Ad confirmationem dicitur quod non est mens Philosophi quod subjectum et forma sint unum in actu, sic quod subjectum sit forma, vel econtra, quia hoc implicat contradictionem; nec sic quod aliquid idem numero sit forma, et illud idem sit subjectum, ita quod prediceretur de utroque se-

(z) *qui*. — *quando* Pr.

(y) *qui*. — *quando* Pr.

(y) Cfr. 3. *Sentent.*, dist. 2, q. 1, art. 3, § 2 (vol. 5, pag. 21 et seqq.).

sum sumpto; nec sic quod illud tertium predicateur de ambobus copulatiū sumptis, puta dicendo, *materia et forma sunt compositum*. Sed mens ejus et aliorum authenticorum fuit, quod actus et potentia, materia et forma, constituant unum tertium; vel sunt indivisa in uno *esse* vel supposito vel natura, quia non habent distincta *esse*, nec distincta supposita. Nec tamen sequitur: *Sunt sic indivisa, ergo sunt unum, proprie loquendo*; sed quod *sunt in uno, et constituant unum*; vel quod *sunt unita ad invicem, et in tertio*. Quod si queritur interius: Quid fundat indivisionem materie ad formam, et econtra? — dicitur quod divisio arguentis est insufficiens: quia talis indivisio non fundatur in eis aliquo trium modorum quos ponit, sed quarto modo, scilicet quod fundatur in utroque ut constituant tertium quod resultat ex eis, vel ut actualiter per idem esse commune utriusque.

II. Ad argumenta Henrici. — Ad objecta Henrici contra eamdem conclusionem, respondet Bernardus de Gannato in impugnationibus prefatis *Quodlibet*, dicens quod « questio supponit impossibile. Est possibile (z) scilicet quod corpus sit dispositum dispositione totali ad animam: sive generatione naturali, que inducit dispositionem necessitantem ad animam rationalem, non quae pre-exstitit, sed quae creatur cum insunditur; sive (E), sicut ipse diceret, per dispositionem supernaturalem, quia illam formam que necessitat materiali ad animam rationalem, posset Deus inducere, quod si fieret, tunc anima preeexistens in corpore sic disposito uniri posset ei ut forma, et hoc propria virtute. Sed quod aliter supponatur aliquo modo corpus suum esse dispository, quando est in eo (z) alia forma, non potest esse. Supposita tamen omnimoda dispositione que requiritur ad materiali quam anima debet informare, credo verum esse quod dicit; quod anima non impedita, si unitur ei, potest se ei conjungere sicut forma materiae. Sed quia materia non potest disponi ad hoc nisi per agens supernaturale, vel naturale, per generationem, ideo dicitur magis quod hoc fiat non propria virtute quam virtute propria. Tamen, supposita dispositione, propria virtute potest se unire: ut si in instanti in quo dispositio est (z) summe ad animam rationalem creandam, si tunc anima rationalis creata jani, et quae fuit in alio corpore, uniri se illi materiali, posset idem facere quod anima que de novo creatur; quia, sicut illa que nunc creatur, habet virtutem informandi materiali, sive ei illa que creata est; immo huc est materia sum, cuius aptitudo ei auferri non potest. Constat autem quod

anima ita se posset propria virtute unire materiae sic dispositio, sicut unit se alii corpori, ut aeri, vel lapidi (et ista unio est motoris ad mobile): quia, cum supponitur omnimoda dispositio que requiritur ad eam, ideo non solum tali corpori sic dispositio unitur ut motor, immo etiam ut forma. Unde, sicut una aqua unita cum alia facit unum suppositum, et tamen prius erant duo supposita, sic anima unita sue materiae dispositio facit unum suppositum, et unitur ei ut forma materie ». — Hec Bernardus; et male. Quantumunque enim materia disponatur ad animam rationalem, sive per agens supernaturale, sive per agens naturale, nullo modo anima rationalis propria virtute potest effective se unire materiae ut forma. Sed illam unionem effective facit agens, causans dispositionem perfectam et ultimatam: Deus quidem, ut agens principale; agens vero creatum, instrumentaliter. — Quod autem anima rationalis non possit hoc facere, optimè probat Scotus (*4. Sentent.*, dist. 43, q. 3). Quia, ut dicit, *a causa equivoca simpliciter nobilior est suo effectu*; ut dicit Augustinus in libro *Octoginta trium Questionum* (q. 2, et *super Genes. ad litteram*, lib. 12 (c. 46); et Avicenna, 6 sua *Metaphysica*. Sed homo perfectius ens est quam anima; quia totum est perfectius sua parte. Ergo anima non potest esse causa effectiva hominis. Eset autem, si ista esset causa effectiva istius unionis. Quare, etc. — Item, 2. *Physicorum* (t. c. 70), dicit Philosophus quod forma et efficiens non coincidunt in idem secundum numerum. Sed anima est forma hominis. Ergo non potest esse causa efficiens illius. » — Hec Scotus. — Nec valent motiva Henrici: quia anima rationalis non est principium effectuum essendi suo corpori, sed solum formale, ut supra dictum est; nec habet inclinationem naturalem ad corpus animandum effective, sed solum formaliter; ideo non valet.

§ 3. — AD ARGUMENTA CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Durandi. — Ad primum Durandi contraria conclusionem, respondet ipse met (dist. 43, q. 4), dicens quod « non oportet ponere motum localem fieri in instanti, dato quod organizatio fiat in instanti. Quia, cum collectio pulverum fiat prius tempore, ministerio angelorum, potest Deus facere quod pulveres ex quibus corpora formatibuntur, sint ejusdem quantitatis et figurae cum corporibus formatis; et tunc argumentum non habebit locum; quia corpus formatum occupabit precise illum locum quem pulveres occupabant. Vel, dato quod corpus formatum sit majoris quantitatis quam pulveres, potest dici quod Deus potest amplificare partem aeris circumstantis, quantum

(z) *Est possibile*. — Om. Pr.

(5) sive. — sed Pr.

(z) ea. — ea Pr.

(6) est. — Om. Pr.

sufficit pro occupatione corporis formandi. Et istud est convenientius dicere quam ponere motum localem fieri in instanti: quia illud est possibile, secundum omnes; motum autem localem fieri in instanti, est simpliciter impossibile. Similiter, si corpus formandum sit minoris quantitatis, melius esset et possibilius dicere (z) quod leens ad modicum tempus rephaneret vacuus, quam quod partes aeris vicini (6) illuc moverentur (7) in instanti: Deus enim potest facere vacuum (8), prout vacuum dicit ultimum continentis non habentis actu aliquod corpus contentum, sicut posset omnia annihilare que sunt infra cœlum, cœlo manente in sua figura. Posset etiam dici, secundum aliquos, quod rarefaction et condensatio, cum sint alterationes, possunt fieri in instanti: ad rarefactionem enim (z) sequitur major quantitas, quæ, secundum istos, de novo generatur, et per condensationem sequitur minor, quæ sensu de novo generatur; et sic per subitam condeusationem (z) potest aer occupare minorem locum, et per rarefactionem majorem locum, et sic cedere alteri, vel imiplere locum alterius, et non per motum localem ».

Ad secundam rationem dicit quod « patet responsio: quia non ponitur quod organizatione precedat tempore vel natura animationem; sed econtra, animatio ordine nature praecedit organizationem; et subjectum ejus est sola materia, que prius fuit sub forma pulveris, et postea efficitur sub alia; et sic est ibi vera mutatio ». — Hæc Durandus, in forma.

Sed istas responsiones refutat Petrus de Palude (dist. 43, q. 4), dicens quod « confundendum est cum aliis quod resurrectione fiat in instanti quoad organizationem et animationem, non autem quoad pulverum collectionem, sed illa fiet tempore imperceptibili ». — Et ad instantiam de organizatione, dicendum quod (z), quando corpus formandum est majus, non oportet ponere annihilationem; nec quando est minus, ponere vacuum; quia ista sunt monstrata in natura. Nec per rarefactionem, ut Durandus dicit quod illa semper est cum motu locali, vel sui subjecti, vel continentis. Et iterum est contra: quia (6), secundum istum (i), alteratio per quam subjectum fit magis et minus tale, non potest fieri in instanti; sed hujusmodi est condensatio et rarefactio, quia quando de raro fit densum, hoc est

quia fit minus rarum, et e converso de denso fit rarum per hoc quod fit minus densum, quod est per intensionem et remissionem; non est ergo in natura rarefactionis et condensationis quod siant subito, plus quam quacumque alia alteratio; quamvis Deus subito possit de denso facere rarissimum, sicut de albitissimo nigrissimum. Potest ergo ponи quod illud fiat per generationem et corruptionem. Quia, si corpus formandum est majus corpore cinerum, tunc corrumpentur cineres, et tantum de aere, quantum debet occupari; et omnia illa convertentur in materiam humani corporis, in quo, anima infusa, generabitur organizatio et quantitas subito. Si autem corpus sit futurum minus, tunc de cineribus tantum convertetur in corpus humanum, quantum erit necessarium; superfluum autem in aeren convertetur; et utrumque per generationem et corruptionem. Si vero corpus formandum sit futurum æquale, nihilominus tamen angulariter, propter positionem, alicubi erit majus, et alicubi minus lateraliter; et ibi fiet partialiter, sicut si fieret totaliter, si ex omni parte esset majus vel minus. Ubi autem æquale, ibi æqualiter convertentur cineres; et conversio et generatio et corruptio sic sient, quod (z) corruptendum resolvetur usque ad primam materiam, et forma substantialis sibi unietur, si est anima, vel communicabitur, si est aeris; formæ vero accidentales in composito generantur, de potentia compositi eductæ. — Ad secundam instantiam, quando dicunt organizationem sequi animationem non solum in esse, sed in fieri, — videtur contra Philosophum, qui dicit quod actus activorum sunt in paciente et disposito. Et quod dicit, illam que est in fieri, non manere; — dicendum quod etiam illa dispositio quæ est cum anima infunditur, et manet, illa in esse sequitur formam, et (6) in fieri ex parte agentis; sed ex parte materie est e converso. Nihilominus et ipsa (7) potest sustentari: quia, cum materia sit indifferens ad omnem formam, ex parte ejus nulla dispositio requiritur respectu cujuscumque formæ, sed solum quod sit iuncta omni forma; quia per essentiam est disposita ad omnem formam quam agens potest inducere; unde tota indigentia est ex parte agentis ». — Hæc Petrus.

Mihil videtur quod responsio Durandi, quoad illud quod ponit de annihilatione et de vacuo, inconveniens est; et, quoad hoc, bene dicit Petrus. Sed quoad illud quod dicit de rarefactione et condensatione facultibus in instanti, bene dicit, et melius quam Petrus; quia, secundum viam Petri, in resurrectione anima non reservaret (8) unquam illud

(z) dicere. — Om. Pr.

(6) vicini. — init. Pr.

(7) moverentur. — moverantur Pr.

(8) a verbo Deus usque ad vacuum, om. Pr.

(i) anim. — autem Pr.

(z) a verbo regitur usque ad condensationem, om. Pr.

(6) dicendum quod. — Om. Pr.

(8) quia. — Om. Pr.

(i) quia. — Aut. Pr.

(z) sic fient, quod. — fient, quia Pr.

(6) et. — Om. Pr.

(7) ipsa. — ipsa Pr.

(8) reservaret. — reservat Pr.

idem corpus numero quod habuit; quia semper alia materia sibi adderetur, vel aliquid de antiqua sibi subtraheretur; nisi in casu raro contingente, scilicet ubi corpus cinerum esset similis et aequalis quantitatis et figurae. Utrum autem illud quod dicit Durandus de rarefactione et condensatione, contradicit alijs dictis ejusdem, — non est curandum ad praesens. Item, cum dicit Petrus, quod in materia cinerum conversorum in aerem communicabitur forma antiqua residui aeris, et non generabitur nova, — non valet, et fundatur in quodam fabso, quod quilibet forma substantialis sit tota in toto, et tota in qualibet parte, eadem numero secundum essentiam: hoc enim verum est de sola anima rationali. Item, quod dicit Philosophum sensisse, quod actus non (α) recipitur nisi in potentia disposita, etc., — parum valet: inter materiam enim et suam formam substantialiem, secundum quod dat primam perfectionem et insimam, nihil est medium, ut supra dictum fuit. Item, cum dicit quod materia per sui essentiam est disposita ad omnem formam quam agens potest inducere, — falsum est unius modo; licet alio modo possit concedi, ut dictum fuit in solutione primi argumenti. Aureoli contra secundam conclusionem diffuse.

§ 4. — AD ARGUMENTA CONTRA QUARTAM CONCLUSIONEM.

Ad argumentum Durandi. — Ad objecta Durandi contra quarlam conclusionem, respondet Petrus de Palude (dist. 43, q. 4) : « Probabilius videtur quod omnes simul in iectu oculi in novissima tuba resurgent. Et ideo ad primum dicendum est quod illi qui reperientur vivi, morientur in rapto quia rapti (6), et parum in morte defenti, et prope illum rapti; quod autem prope est, nihil differre videtur, 2. *Physicorum* (t. c. 58). Et ad argumentum, dicendum quod mortui qui in Christo sunt, id est, in fide Christi formata mortui sunt, resurgent primi primitate dignitatis, quia in resurrectionem vitae, respectu malorum, qui resurgent in resurrectionem judicii; unde dicit : *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi; deinde nis- simul rapiemur*, etc. » — Haec Petrus.

Nicolaus vero de Lyra, in sua *Postilla*, exponens illam auctoritatem Apostoli, sic dicit : « Ista prioritas et posterioritas non potest referri ad nectum resurgentis ; ita quod aliqui resurgent prius ullis prioritate temporis : nam omnes resurgent in eodem instanti, secundum quod dicitur, 1. Corinth. 15 (v. 51), *Omnes quidem resurgentur*; et subditur (v. 52), *In momento, in iectu oruli, etc.* Nec potest hic recipi prioritas dignitatis : quia Patres veteris testamenti

in resurrectione non erunt digniores Apostolis, qui erunt assessores judicis, Matth. 19 (v. 28), *Sedebitis super sedes duodecim*, etc.; de quibus dicit hic Apostolus (*I. Thessal. 4*; v. 16), *Deinde nos*, etc. Propter quod, salvo meliori judicio, videtur mihi quod ista prioritas et posterioritas sit referenda ad quietem in Christo per bonam mortem, sic jungendo litteram: *Et mortui qui in Christo sunt*, id est (α), requiescent, in ejus fide mortui, *primi*, respectu nostri qui adhuc vivimus, resurgent cum posteris; *deinde nos qui vivimus* (supple: quiescens in Christo, in ejus fide moriendo), *et simul rapiemur cum illis*, jam resuscitati cum ipsis, *obviam Christo venienti ad judicium in aera*, etc. » — Ille ille,

Nicolaus vero de Lyra (6), exponens illum locum, sic dicit : « Super hoc est duplex opinio. Quidam dicunt quod primitivi sancti, iam mortui, resurgent prius tempore quam ultimi, qui tunc invenientur vivi. Ad illud Apostoli, respondent quod resurrectio singulorum erit in momento, non tamen omnium simul. Alii dicunt quod primitivi sancti resurgent prius dignitate quam ultimi. Et ad objectum, dicunt quod Apostolus loquitur hic in persona eorum qui in fine vivi invenientur, non in persona sua; sed numquam aliquis sanctorum ultimorum dignior erit aliquo primitivorum. » — Hac ille,

Ad argumentum contra questionem, respondet sanctus Thomas, dist. 43, q. 1, art. 3, q^{ta} 3, in solutione quarti, dicens quod « congregatio cinerum, que sine motu locali esse non potest, sicut ministerio angelorum: et ideo erit in tempore, sed imperceptibili, propter facilitatem operandi qua competit angelis ». — Hanc illa.

Et haec de questione dicta sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTRIBUTION XLI.

QUESTO

UTRUM IN RESURRECTIONE ANIMA RESUMAT IPM
CORPUS NUMERO QUOD PRIUS HABUIT

Sicut quadragesimam quartam distinctionem, primo quavirunt: Utrum in resurrectione anima restimat idem corpus numerum, quod prius habuit

Et arguitur quod non. Quia corpus humatum per

(a) *ideal*, ..., *Om*, *Pn*,

(3) Expositio textus S. Pauli immediate precedens utique a Nicolao de Lyra datur; hinc vero secunda falso ei attribui videtur. In Postilla equi non reportur.